


de Au[illegible]
2
Vincetoxicum
3
Der verb. Zieg.
4
d. [illegible] Schmi[illegible]

Horn.







DE AVRO MEDICO PHILOSOPHORVM:

Id est:

DE ILLO OCCVLTO, SALVTARI,

SOLARI OMNIVM MINERALIUM, Vegetalium, & Animalium corporum, Spiritu; seu Balsamo Viuifico, & maxume alexiterio, bezoartico, theriacali.

ARCANO ARCANORVM OMNIum in re medica summo, ac præstantissimo:

DIALOGVS SCHOLASTICVS:

CHRISTOPHORI HORNII, MISNICI.

V. G.





FRANCOFVRTI,
Typis Wolffgangi Richteri, Impensis Antonij Hummij.

M. DC. XV.

Sum Simonis Wellenbergij Dant:

SYMBOLUM CHRISTOPHORI Hornii, Senioris.

SCRIPTURÆ,

ET

NATURÆ

IN LUMINE,

NOSTRA VOLUPTAS:

HINC MEDICINA

ANIMIS,

CORPORIBUSQUE

FLUIT

Psalm: [...] v.11.

Attollis IEHOVA, *t[...]nquam Monocerotis, Cornu meum[...]cum inueterauero, vnges me[...] virente.*







LECTORIBVS ÆQVIS, ET BENEVOLIS S.

ERGONE *succumbent chari meditata Parentis,*
Queis sacra Naturæ solers mysteria pandit?
Ergon[illegible]bi officii diuina negotia tra-ctat, [illegible]
Muneris imped[illegible]unt curæ? Sanctique labores [illegible]t,
In claram Scri[illegible]um prohibent emit-tere lucem?
Ergone [illegible]deis, cum blattis, pul-uere & [illegible]bris
Turpia bella [illegible]erens, manes patietur acerbos?

Noſter Apollo veta, Medicæque obſiſtite Muſæ,
Ne tot congeſtos per tempora longa labores
Hauſerit atra dies, ſtygiiſque immerſerit antris?
Ah ſcelus indignum! fas Natum tendere contra,
Fas Natum aſſeruiſſe Patris monumenta verendi:
Sit vulgaſſe, meum: vos huc vos figite greſſus
Pæonidum ſacri Cultores, ferte ſalutẽ;
Vos ô Lectores, æquum præſtate fauorem:
Ac operâ interitus operis prohibete nefandos.
DI magni, ſeruate [illegible] ſeruate laborem!
Excipite, eripite è tenebris, & carcere cæco:

Tar-

Tartarea ex vmbra, paullatim attollite ad auras
Ætherias, ac vitalem concedite lucem.
Tu vero inprimis nostri inclute Phœbe Lycei
Adfer opem, Hassiacæ Stella ô Mavortia stirpis,
Huc huc cœlifluos radios diffunde: libellus
Illustri à splendore tuo sibi lumina c[illegible]vat:
Teque vigente diu, vigeat, teque auspice, vivat,
Exhilaret, prosit, placeat, relegatur, ametur.
Vt late in terris felici sidere spargat
Naturæ sp[illegible]u, & præclara Inuenta Sophorum:
Dogmatici quicquid docuerunt vtile, quicquid

Chemiatri, nec non Hermetica castra medentum:
Quæ Ratio dictat, quæque experientia firmat,
Certa Magistra Artis, materque colenda medendi.
Phœbe benigne faue scripto, inclute Phœbe Lycei,
Fac læto Aonidum volitet per limina plausu,
Naturæ gazam, veterumque reperta recludat,
Exhilaret, prosit, placeat, relegatur, ametur.

Christophorus Hornius, Iunior.

DE

DE INTERLO-
CVTORIBVS
Dialogi.


Væ referunt Auri, Solaria
balſama, vires,
Dona Dei excelſi, THEO-
DORVS tradit,& vſum:
Adpetit AVRELIVS rutilum, atq; exa-
minat aurum;
Quæque aliis inſunt effecta ſtupenda
metallis.
SYLV[illegible] auricomos flores explorat &
her[illegible]s.
Artem PALLA[illegible]IVS, quæ rerum ſepa-
rat Aurum.
Carmine APOLLONIVS facili hæc illu-
ſtrat & or[illegible]at;
Vtilibus miſc[illegible]is iucunda & dulcia
dictis,
Huc, [illegible]hemiatri, vos huc aduer-
tite m[illegible]tes,
Quis artis m[illegible]dicæ veteris fundamina
curæ:

Pœonidum ad latebras vos, ſidereoſq; receſſus,
Aurificum ad Solis ſolium vos ſiſtite greſſus:
Viuifici hic Salis & Solis nitor emicat ingens.
Aureus hic Ramus vobis, hic luce coruſca
Dotis inexhauſtæ, Naturæ gaza refulget.

ICE-



ICEDAMOHRGICVS, Musarum Mechanicarum Trismegistus:

THEODORICO, THEORICO,
Nostro

CHRISTOPHORO HORNIO.

Salue sis; Pater, & Frater, Filique, Nepos que,
Annis: Officiis. Mercurio: Arte. Vale.

CHRISTOPHORO HORnio, Misnico;

EMIS[illegible]ENVS, S.



Vro de Medico præsens hic disserit Autor,
Q[illegible]squis erit: Clarem PAN *[illegible]tenet Ille Tuam!*
Lucem nama[illegible]s Physicam; de Lumine Re[illegible]
Accendit [illegible]nen particulare suum.
Præcipuas rerum Vires proferre laborat,
Aurum Ba[illegible]amicum, particulare docet.
Vnigenam, moneo, Turbā dixisse Sophorum:

)?(5 Quot

Quot Res, tot Lapides fert adimitq;
Chaos.

Spiritus Astrorum Medicus de Culmine
stillans,
Naturæ Vires fundit, & Ima fouet.
Hic hic Naturæ Lux est in Lumine Rerum,
Quas triplicis Mundi Machina tota
capit.

Hanc qui Naturæ Lucem non nouit,
oberrat:
Lux hæc corporeus Spiritus atque
Chaos.

Principium Rerum Trinum, Deus
ipse Triunus
Hunc dedit, vt viuax Ig[illegible]s in Arte
probat.

Fac Tria eiungens, numeres Elementa qua-
terna:
Quæ tria post Quatuor sunt Elementa
Chaos.

Mercurius, Sulphur, Sal, [illegible]nt TRIA, suntq;
Triunum
Principium Rerum; iuss[illegible]t ESSE Deus.

HOR-

HORNIO SVO
Elianus S.


VIs tu? Nonne Galenicus, ac Hermeticus æque?
Aurum nonne Tuum Corporis Astra leuat?
Tũe Pater? Frater? Nũ Filius, auree Scriptor?
*S*is Pater, & Frater; Filius Artis eris.
Hæc tua Te Patrem fecit mihi grandior ætas,
Excedens lustris quattuor vsque meam.
Te quoq; fecerũt Fratrem Cõfessio, Munus,
Patria, Mẽs, Sophiæ clarus in Arte status.
Ast Elianus eram quondam sine Compare solu[illegible] (quar.
Quos tulerim socios, Numine dante, lo-
Octo decemque Pa[illegible]es, Fratres septemque nouemque,
Discipulus Sextus, Tu Theodore, Meus.
Dogmaticus Magnus; *Sylui*, Chymicusque fuisti:
Nunc Hermetic[illegible] es Filius, & Medicus.
O Fili, Tua quid[illegible] at icta *securibus ilex*?
Nũ Tib[illegible]custos hęc Elemẽta; Pater?
Macte colende [illegible]er! Mi Frater, Filius Artis
Quadragesim[illegible]es notus in Orbe Mihi.
Viuite felices ô P[illegible]res: viuite Fratres:
Viuite Discipuli: Tu Theodore vale.

ERI-

EREMITA CABACH, HORNIO S.P.D.



Iperei dentes constringunt Frigore Cœlum,
Vix Syluas Radiis Solis adire licet.
Concipiunt etenim Radiorum castra marina
Fluxum: Nymphidico lucet hic Igne Seni.
Sed cum Sylua viret, Lucis circumuolat auras
Fluxus: Montanam lustrat & Igne Casam,
Te iuuet hanc oculo potuisse videre reclusam,
Quam nunquam potuit vulgus adire Casam.
Hæc oculis captis abscondo cubilia Talpæ:
Ast oculus, Sylui vidit Amice Tuus
Elicias ergo diffusum Gurgitis Imbrem,
Thesaurique loco, diffl t Imber Aquis.
Neptunique Tuba, Sophiaque sub æquore Nymphis
Cornu suaue sones: præda petita fluet.
Fac Medicum præstes, taceasque; propellere Morbos,
Ad cœlos Animas ducere erge Pater.
Perpetuam vero Nobis dona ntem
Oramus Lucem mente gem eum.
Gaudeat vt Cœlum, ventura oria Lucis;
Christus Eremitas det supe se pios.

DE



DE AVRO MEDICO PHILOSOPHORVM:

DIALOGVS SCHOLAsticus.

INTERLOQVVTORES:

Apollonius : Theodorus : Aurelius: Syluius:Palladius.

APOLLONIVS.



EV, quam vita breuis! Longa Ars! occasio praeceps!
Iudiciumq; graue est! ipsa experienti[illegible] in arte
Casib[illegible] aduersis, dubiisq; paranda [illegible]lis!

[illegible]EODORVS.

Quemnam e[illegible] ad me accedentem Philosophum Hippoc[illegible]teum audio? Certe meus est Apollonius, [illegible]i secum ducit Aurelium, Syluium, & Palladium: viros vt eruditione,

ſic morum & verborum elegantia conſpicuos.

AVRELIVS.

Salue Theodore, Amicorum optume.
Sylu. Salue vir doctiſſime.
Pallad. Salue vir humaniſſime.

APOLLONIVS.

Salue Hippocraticis vir dilectiſſime Muſis:
Salue Pieridum lumen, Charitumq; Sororum.

THEODORVS.

Saluete & vos, Amici ſuauiſſimi: aduentu, conſpectuque veſtro nihil mihi accidere poteſt gratius, nihil optatius.

AVRELIVS.

Ignoſce nobis Theodore, ſi parum in tempore te interpellamus non vocati.

THEODORVS.

Boni ad bonos (vt ait apud Platonem Socrates) accedere ſolent vel inuocati.

Aurel. Quid hic rerum agitur?

Theodor. Legitur, vt vides.

Aurel. Video ſane; ſed quoſnam ego hic codices conſpicor? Q[illegible]m ego hic adparatum cerno medicum? Q[illegible]d tibi cum magno Hippocrate? Galeno? F[illegible]li[illegible]? Quid tibi cum Dogmaticorum erudi[illegible]imorum, Chymiatrorum peritiſſimoru[illegible] Hermeticorum denique omnium maxum[illegible] acutorum Naturæ conſultorum monume[illegible]is? Nonne pugnat iſtud cum profeſſione tua? Cum ſis præ-

co ver-

co verbi diuini, tractare te res Physicas & Chymicas? ac inprimis artem te exercere medicam?

THEODORVS.

Isthæc ego professionis meæ munia esse duco, Aureli: *Dona, & mysteria Dei tam in verbo, quam in Natura rerum patefacta sedulo investigare ac perpendere:* Atque ex his immensam conditoris Dei Sapientiam, infinitæ potentiæ, & bonitati paternæ parem cognoscere, admirari, in eaq; firma acquiescere fiducia; tum eandem grata mente, voce, & factis piis celebrare. Halce vero operas, ratione officii mei, hunc ferme in modum partiri soleo: vt matutinas horas lectioni, & meditationi sacræ; postmeri[illegible]nas vero nonnullas eiusmodi oblectamentis plerumque tribuam: Num quid in istis reprehendendum censes?

AVRELIVS.

Nihil sane: sed nasutuli quidam conuitiatores te falcem in alienam messem mittere clamitant; quibus te purges necesse est.

THEODORVS.

Nihil à [illegible] & vocatione mea alienum tractare me scias, Aureli. Cum enim ad studium sanæ Philosophiæ, eiusque verum & salutarem vsum, olim in Academia sancte me obstrinxerim: Quidnam post diui-

nam illam verbi cæleſtis Sapientiam, Hippocraticâ hac Sapientiâ in rebus mortalium inuenero ſapientius? Quidnam ſuauius, grauius, vtilius, & præſtabilius? Quocirca illa à ſtudiis meis haud aliena fuerit.

Denique vt dona mihi conceſſa, ad Dei gloriam, & proximi emolumentum conferam: bonis interdum amicis, ac aliis, & præcipue pauperibus conſilio & opera qualiſcunq; inſeruiam; Chriſtiana profeſſio, & charitas omnino exigit.

Sylvivs.

Ego certe artem medicam non tantum à verbi diuini præconibus, ſed inſuper ab omnibus philomuſis, & literarum candidatis, Eccleſiaſticis, ac politicis viris; quibus valetudinis curatio curæ eſt, magnifaciendam ſummeque colendam iudico: & eoſdem artis iſtius fundamenta omnino ignorare, indecorum arbitror.

Hort. Med. part. 1. c. 1.

Apollonivs.

In tenui haud labor eſt; tenu[illegible] neq; gratia; ſi quem
Succeſſu facili Fata beata [illegible]uant.

Avreli[illegible]

Ioco iſthæc dixeram, Th[illegible]ore: ne quid igitur ſuccenſeas, rogo: ſed veniam des importunitati meæ. Nunc au[illegible] demum, quam ob cauſam te acceſſerim & [illegible]uidnam abs te precibus omnibus petam & contendam.

Theo-

THEODORVS.

Si qua in re gratificari tibi potero, imperabis & impetrabis, quidquid voles: nihil tua causa recusauero.

AVRELIVS.

Te de Auro Medico Philosophorum scriptum quoddam nobis sæpenumero pollicitum esse, negare non potes. Quid ergo cunctaris? Quid nos suspensos tenes? Quidnam tot iam annos parturis; vt vix Elephanti diutius? quod dicitur prouerbio. Fac tandem appareant promissa. Fac denique non nulla eorum, quæ iam vltra viginti quinque annos in praxi medica experiris, in lucem prodeant. Age nunc, si vacat, de aureis hisce differamus paullulum Naturæ mysteriis.

THEODORVS.

Quandoquidem illud tantopere postulas, meque de hoc tanto arcano, & philosophiæ physicæ, ac medicæ quasi melle, atque medulla balbutientem ferre potes; lubens sane tibi morem gessero.

PALLADIVS.

Gratum id erit [illegible] lubens feceris: Nos sane multo lib[illegible] [illegible] auscultabimus.

THEODORVS.

Tria vero præcipua huius colloquii nostri erunt capita. *PARTES Dialogi, tres.*

I. In primo considerabimus. 1. Auri Medici descriptionem, & appellationes. 2. Eiusdem

dem effecta, & vires. 3. Subiecta, siue materiam.

II. In secundo, de eiusdem præparatione, ac separatione commoda acturi sumus.

III. In tertio, verum illius vsum in praxi medica, iuxta veram & Galenicam Dogmaticorum medendi methodum, ostendemus.

SYLVIVS.

Autes arrigo Theodore, audacter tuam de Auro Medico expone sententiam.

AVRELIVS.

Hanc tuam sententiam audire aueo, & gestio. Nam si tu, Theodore, verum veri auri illius, vt vocant, plusquamperfecti conficiundi modum monstrare queas: certe tu mihi, aliisque plurimis Artis Aurificæ Filiis beneficium atque officium præstiteris longe exoptatissimum: Certe tu tibi memoriam, & gloriam paraueris immortalem. Qua de re Marcelli Palingenii, Stellati, in Capricorno, elegantissimum extat carmen: Cuius lectione & consideratione (si [illegible] sane diues amplissima) mentem nonnunq[illegible]am pascere & oblectare soleo. Sic enim ille [illegible] Mercurio, aquis stygiis excarnificato, [illegible] & fixato, exstincto, ac demum resus[illegible]tato canit:

Proiicite hunc demum in [illegible]unas; renouabitur alter
Vt phœnix: & quæ tanget, perfecta relinquet

Cor-

Corpora; Naturæ leges & fœdera vincens:
Mutabit species, paupertatemque fugabit.

THEODORVS.

Auro, Aureli, inhias, turpiq; indulges auaritiæ:

O quantum mortalia pectora ludis.
Auri sacra fames!

Poetatur Palingenius; fabulantur, ac ludunt suo more, falluntur ac fallunt Philosophastri metallici, auripetæ, auriperdæ, vagabundi, fugitiui, famelici, fumiuenduli: qui in tincturis auri lucrum immensum inesse adseuerant; & frustra hiante semper ore, cum Tantalo illo,

Poma fugacia captant: vt Nasonis vtar verbis.

Est aliud quidpiam, mi Aureli, quod literarum cultoribus, fautoribusque commendo; auro cunctisque mundi thesauris, atque adeo omni precio preciosius. *De prima Dialogi parte.*

AVRELIVS.

Quidnam illud, mi Theodore?

THEODORE.

Aurum Medicum philosophorum, seu sapientiæ candidatorum, voco illum rerum medicarum, omnium Mineralium, Vegetabilium, & Animalium corporum; omnium acidularum, thermarum, bolorũ, vt vocant metallarium, occultum, salutarem, Solaremq; spiritum; Balsamum, seu Sulphur Viuificũ, Cardiacum, & maxume alexiterium, bezoarticũ, *1. Aurum Medicum quid.*

theriacale: Quod ſanitatem cum primis conſeruat, & corporis noſtri tum partes, tum humores, à corruptione & putredine vindicat ac tuetur.

Avrelivs.

Euge, mi Theodore, rem plane nouam, & hactenus ferme inauditam audio. Sed quare tu balſamum illud rerum Medicarum Solare, Aurum nuncupas?

Theodorvs.

Auri vires. Aurum, quod propria quadam vi attractrice, & quaſi magnetica, atque ſympathetica pollet, qua intuentium animos, vt ab ipſis illico deſideretur, allicit; Medici omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatiſſimum, & maxime conforme in temperamento humanæ naturæ, & à corruptione tutiſſimum. Denuo Leuinus Lemnius: Aurum (ſcilicet commode præparatum) præcipuis membris robur conciliat, ac facultates natiuas firmat. *Nam ſi quid mali internis partibus adhæſerit, conſumit, abolet, depaſcitur; partemq́ adfectam & morbidam, vigore ac vitali Spiritu imbuit.*

Aurum igitur omnium c[illegible], calorem naturalem cum humore æqualiter temperat, humores à corruptione conſeruat; ac Solarem, & viuificum, Spiritibus, & membris, ac præcipue cordi inſerit, atque imprimit vigorem. Facile enim in tota corporis arbore ſeruabi-

uabitur virtus natiua & ingenita, si in radice conseruabitur, vt loquuntur Medici.

Sed cum non tantummodo Aurum, sed etiam aliæ materiæ medicæ, (Naturę opulentia tanta est) tam arcanas, & cœlestes vires possideant: vt cor ipsum, natiui caloris fontem, & cuncta corporis membra reliqua reficiant, & Spiritus illustrent; Humores omnes, ipsamque partium substantiam à corruptione & putredine tueantur ac conseruent: imo omnes corporis & animi vires (diuina annuente gratia) instaurent & augeant: Spiritum nostrum, Solarem, Balsamumque & Saccharum vere aureum; non solum in metallo preciosissimo; sed etiam in aliis rebus, ad rem medicam pertinentibus absconditum, conuenienterque extractum, atque aliis medicamentis commixtum, Aurum appellare ausus sum: Nonne tibi idem videtur Apolloni?

Auri vires mirandæ, in multis rebus nascentibus delitescunt.

APOLLONIVS.

O hominis quantum pectus mortale lacesßit,
O quantum auri ar[illegible]ens torquet & vrget Amor!
Cur petit, optat, amat [illegible]antis Cor viribus Aurum?
Aurum non tem[illegible] Cor petit, optat, amat.
Tam præsta[illegible]m, quod nil corrumpere poßit,
Sub Lunæ nullum corpore corpus habet.
Occulto, & multo Naturæ munere gaudet:
Vi vincit mixtu[illegible] quicquid hic orbis habet.
Vt feriat, capiat, r[illegible]piat mortalia solo
Solari ad sese corda Nitore vides.

Auri vis, & præstantia naturalis. Hort. Med. part. I. ca. 5.

A 5 Tam

Tam fouet interius, recreat releuatq; medendo:
Quam foris adspectu pectora nostra mouet.
Sed non hanc tantũ (certa atq; experta profamur.)
Vim solarem auri quæq; metalla tenent.
Corpora multa gerunt rerum, mirabile dictu,
Partem aliquam Solis, seu Salis aurifici.
Corpora multa tenent animalia, balsama Solis:
Plantarum hæc eadem corpora multa tenent.
Ista magistra probat rerum, Experientia felix:
Artificisq; oculis subiicit ista manus.

AVRELIVS.

Aurum medicum, Philosophorum.

Quamobrem vero, mi Theodore, aureum hoc vitæ balsamum, & Saccharum, dixisti aurum medicum?

THEODORVS.

Quia summum hoc artis medicæ arcanum, & singulare Dei donum, sanitati nostræ inprimis inseruit: morborumque radices funditus exstirpat.

AVRELIVS.

Cur vero aurum hoc tuum medicum literatis præcipue hominibus dicas & consecras? Quandoquidem aurum Philosophorum nominas?

THEODORVS.

Literati homines balsamis vitæ Solaribus, utpote medicamentis

Non modo ea de causa, quia ad conseruandum corroborandumq; Ingenii, memoriæ, ac sensuum, omniumque facultatum naturalium vigorem, mirum in modum prodest: Sed etiam quoniam illi, qui liberalibus

studiis

ſtudiis inuigilant, hoc maxume indigent: Quum corporis labore atque exercitio deſtituantur: quies vero immodica ſit cruditatis, obſtructionis & putredinis humorum parẽs: Illi autem intempeſtiue lucubrantes, mira nimirum aut lectionis, aut meditationis voluptate atq; dulcedine illecti, ventriculi concoctionem vt plurimum impediant: calorem natiuum, qui in conficiendis alimentis ſolũmodo occupatus eſſe debebat, diſsipando, & ad ſuperiora, ſiue, vt ita loquar, ad ſacram Palladis arcem auocando: Qui ſane diſtractus, neque ſtomacho ſatis, neque capiti facere poteſt. Hinc illi cruditatem, cacochymiam, catarrhos, morboſque varios ſibi accerſunt.

præſtantiſsimis maxume indigent

PALLADIVS.

Ex iſtis ſatis intelligo, literarum candidatis non minorem valetudinis, quam ipſorum ſtudiorum rationem habendam. *Ac inprimis vitandam cruditatem, atq; ipſam ſimul Intemperantiam & Ingluuiem; matrem quidem morborũ, ſanitatis peſtem; virtutum, & ſcientiarum hoſtem infenſiſsimam; Medicorum nutriculã dulciſsimam.* Sed potius colendam ſobrietatem, adhibendamq; certam in victu moderationem; quæ iuxta medicorum ſententiam, *Morborum præſeruatio, & curatio eſt omnium ſaluberrima: vigorem deniq; tum corporis, tum animi conſeruat incorruptum & integrum.*

Qua de re mihi commodum in mentẽ venit Medici Arabis, Rabbi cuiuſdam Moyſis

ſententia, qui in regimine ſanitatis, ad Regem ſuum ſic ſcribit: *Si quis ita ſe regeret, vt equum ſuum regit, quem carum habet; à multis morbis præſeruari poßit.* Sed quid hiſce ego parum in tempore tibi obſtrepo? Perge enumerare cauſas, quare tuum aurum medicum, aurum Philoſophorum, & ſapientiæ candidatorum appellaueris.

THEODORVS.

Ex auro hoc noſtro Solari, & medico conficiuntur pharmaca omnium tutiſſima, & iucundiſſima. Cum igitur plerumq; infirmioribus ſint lateribus literati homines: Ipſorum corpora omnium tutiſſimis ac minime periculoſis medicamentis, ſaccharo nimirum noſtro Solari, erunt fulcienda.

Deinde cum alias ipſis variæ ſint exhauriendæ, ac deuorandæ, in hoc mundo immundo, iniquo & ingrato, acerbitates & moleſtiæ: Ne inſuper ab ingratis, & amarulentis illis pharmacopæorum potionibus, & catapotiis diuexentur, torqueanturque, ſedulo nobis adnitendum eſt.

SYLVIVS.

Delicatulis, vt audio, medicamenta paras, Theodore, non viris fortibus; qui duris, & amaris adſueti ſunt. Hac in re multi à te diſſentiunt emunctæ naris Phyſici atque Medici.

THEO-

THEODORVS.

Ego fortibus illis hominibus delicias ſuas haud inuideo; Verum, quia iſtorum paruus eſt numerus, *iis* tantum qui ab vſu vulgarium medicamentorum abhorrent, conſultum cupio.

AVRELIVS.

Sed cur tu iſthuc Medicorum arcanum, omnium Mineralium, Vegetalium, & Animalium corporum Solarem, Salutaremque dicis Spiritum? *Spiritus Solaris.*

THEODORVS.

Spiritum, Solarem voco, nobiliſſimam ſubſtantiæ partem, formam ſeu facultatem maxume cœleſtem, & ætheriam: haud dubie à Sole cœleſti (Lucis, ac Vigoris vitalis fonte illo aureo) emanantem, & influētem: Quem ſane Diuina benignitas in multis rebus naſcentibus poſuit & occultauit.

De hoc Solari Spiritu occulto ſcite ſcribit Iamblichus. Quicquid habemus doni, habemus à Sole, vel ab ipſo Sole, vel ab ipſo per alia: Quamuis enim aliquid ab aliis (ſideribus cœli) habeamus; illud tamen à ſole mutuatum eſt. *Iamblichi dictum.*

PALLADIVS.

Sed qua de cauſa Spiritus iſte à nonnullis appellatur Ignis Solaris? *Ignis Solaris.*

THEODORVS.

Quia hic Spiritus ſidereus, Solaris, Cardia-

cus,

cus, viuificus, tanquam ignis quidam temperatissimus, mouet ac fouet, excitat & acuit viuificum natiui caloris Igniculum: præcipue in corde; deinde etiam in aliis corporis partibus: ac Temperiem naturalem, & concoctionem (non modo elementariam ametriam corrigendo, alterando, & exsiccando: sed insuper omnem simul qualitatem malignam, venenatam, ac deleteriam, quam vocant, exstinguendo & abolendo) in illis ad æqualitatem & operationē naturalē perducit.

APOLLONIVS.

Excitat Igniculum natiui, hæc flamma, vigoris;
Qui iacet oppressus, veluti cinere obrutus Ignis:
Exposcens vitæ Solemque Salemque benignum.

THEODORVS.

Ignem istum rerum velut occultum, à vulgari Vulcani igne haud comburi, absumi & exstingui posse, recte adseuerant Physici.

APOLLONIVS.

Est isthic Ignis, rutilo inuiolabilis igni:
Non mare, non tellus hunc abolere queant.
Separat, & superat prauum, renouatque caducum
Temperie præstans, igneus iste vigor.
Temperie hac hominis natur[illegible]nus ille est;
Hinc & in humano corpore mira potest.

PALLADIVS.

Quinta essentia, & cœlum philosophicum. Nunc demum intelligo rationem, ob quam Solaris hic Spiritus dicatur à nonnullis quinta rerum essentia & cœlū philosophicum;

eum; quod nimirum vi ac proprietate cælesti ætheria, & velut occulta, longe quatuor illas Medicorum elementarias transcendat qualitates.

AVRELIVS.

Sed cur tu Solarem hunc spiritum nominasti Balsamum, seu Sulphur viuificum? *Balsamum, seu Sulphur viuificum.*

THEODORVS.

Quia opobalsami veri ac sinceri vires obtinet, & ad conseruationẽ, instaurationẽ, id est, primigenii, seu nectaris vitalis est accommodatissimũ: humores corporis omnes, ipsamq; partium substantiam, ad tempus certũ à Deo constitutũ, à corruptione ac putredine vindicat ac tuetur, sicut antea monui.

AVRELIVS.

Cur tu spiritum hunc Solarem, Balsamum appellas alexiterium, bezoarticum, theriacale? *Balsamum alexiterium.*

THEODORVS.

Quod nimirum aduersus venena omnia, ac aerem infectam & pestilentem hic spiritus antidoti loco esse queat. Hinc medicamentis, quibus ipse inest, contra omnis generis venena, ac insuper pestis luem, & contagem nihil præsentius, tutius, aut præstantius. Ac ipsius vsus singulis sex, duodecim aut viginti quatuor horis tuto, iucunde & summo cum fructu iterari potest.

Hæc etiam Solaria, & Balsamica medicamenta

menta præseruationi à morbis Epidemiis, acutis, pestilentibus, & contagiosis maxume inseruiunt. Singulas enim vires corporis roborant: Temperiem viscerum naturalem cõseruant; aluum laxam & lubricam præstant; ac humorum ebullientium, aut putrescentium: qui quidem ab aere pestilenti (disposita
" enim ad pestẽ putredo, vt sulphur ad ignem)
" facilime corripiuntur ac corrumpuntur: coaceruationem, obstructionemque inhibent: quibus sane in rebus, & nequaquam infrequenti ac immoderato vulgarium antidotorum vsu, præseruatio ab eiusmodi morbis consistit.

AVRELIVS.

Breuior auri Medici descriptio.

Intellexi tandem, quidnam sit aurum tuum medicum: Spiritus nimirum rerum Medicatum Solaris, balsamicus, alexiterius: Tuam porro de huius medicinæ balsamicæ, in curandis morbis, præstantia, viribus, & efficacia sententiam libere exponas, quæso, Theodore.

2 De Solarium, & balsamicorum medicamentorum præstantia, Viribus, & efficacia.

THEODORVS.

Cum sibimet ipsi Naturæ vis insita Medicatrix esse debeat: homo autem, cui Medici nomen tribuitur, minister tantum sit naturę, & seruus veri Medici: potissimum Medicinæ fuerit fundamentum, & methodus medendi maxume tuta, rationi consentanea, plana ac sana; si naturæ vires ita fulciantur, & acuantur,

tur; vt ipsæ (per euacuationem blandam ac benignam prius remotis remoris, & impedimentis crassioribus) absque molestia, perturbatione, ac debilitatione corporis; iucundis & tutis medicamentis adiutæ, noxia & contraria quæuis accidentia corrigere, separare, excludere ac profligare valeant; & quidem per meatus à Natura ipsa expurgandis singulis superfluitatibus vitiosis destinatos. Hoc ego fundamentum attente semper respectãs, & obseruans, in singulis metallis, terris & aquis mineralibus, imo in ipsis etiam vegetalibus, & Animalibus delitescentem deprehendi, Ignem hũc solarem, ac eum quidem temperatissimum: qui excitet, exstimulet, moueat, foueat, & corroboret quodammodo oppressum, ac veluti cinere obrutum, viuificum illum Vigoris natiui Igniculum: *Cuius virtute, ope, atque opera, hic in singulis corporis partibus, paullatim aperiat obstructa, corrigat corrupta, & expurget superuacua.* Hæc medicamenta Solaria, & balsamica quadruplici præcipue facultate pollent atque excellunt: vi quadam diaphoretica, & abstergente; vi alteratrice, & exsiccante; vi alexiteria; vi denique corroboratrice, specifica & sympathetica. *Medicamenta solaria, & balsamica quadruplici facultate pollent.*

Vi diaphoretica, & abstergente, relictas in visceribus humorum obstructiones aperiũt, & flatus discutiunt; omnemque corpori infensum, tum biliosum, tum pituitosum, & *Hort. Med. part. 2. c. 12. Vis diaphoretica.*





& abstergens Solarium Medicamentorum. flatulentum Tartarum; partim per aluum, partim per lotium, partim per ſudorem (per ſexcentas nimirum, pluresque vias) ex tota ſanguinis maſſa, ſenſim expellunt.

Vis alteratrix. Vi alteratrice, ac temperata frigiditate, obſtructi, & corrupti cuiuſuis humoris, ac præcipue Bilis concitatæ, efferueſcentis, ebullientis, & ferocientis impetum, feruorem, acrimoniam, & malignitatem ſeu virulentiam obtundunt & frenant: *Calorem denique corporis omnem præternaturalem* (fomitem, & fontem corruptionis, reſolutionis, puttedinis) *exſtinguunt & abolent; omnem qualitatem malignam obtundunt, frenant, inhibent, corrigunt.* Mediocri ſiccitate, reſolutionem cuiuslibet partis; fuligines ad ſuperiora, ac defluxus omnes ad inferiora inhibent; humoreſque vitioſos, putreſcenteſque abſorbent.

Vis alexiteria. Vi alexiteria, vereq; Solari, putredini malignæ obſiſtunt, omneſque humiditates putridas, ac venenatas abſumunt, & corrigunt.

Vis corroboratrix, ſpecifica & ſympathetica. Vi ſpecifica, & ſympathetica, Cordis, aliarumque partium principum, vigorem natiuum mirifice excitant, & exacuunt: concoctionem, ac temperiem partium, humorumque ad æqualitatem naturalem perducunt.

APOLLONIVS.

O Sacra Naturæ myſteria! quanta benignus

Ille

Ille opifex rerum voluit mortalia corda
Mirari manuum monimenta stupenda suarum:
Sed non iudicio voluit comprendere mentis.

THEODORVS.

Hoc modo expurgatis superuacuis, & correctis corruptis, totum corpus incorruptum conseruatur & custoditur. Quid tu Apolloni, de sulphure, seu balsamo hoc Solari?

APOLLONIVS.

Eximias sulphur velut à putredine partes,
Sic simul humores vendicat illud, ope.
Balsama dant isthæc letho lethale venenum:
Et si quæ vitæ sunt inimica tuæ.

PALLADIVS.

Si tantum possunt Solaria, & Balsamica hæc medicamenta; felicem certe medicum, qui ipsis probe instructus fuerit: Nulli enim ægroti, quibus ille hæc exhibuerit, non conualescunt; nulli morte succumbent.

Obiectio, contra effecta horum medicamentorum.

THEODORVS.

Tu longe maiora & certiora humanis præsidiis à Medico postulas, Palladi. Scitum est illud Ovidii:

Non est in medico, semper releuetur vt æger:
Interdum docta plus valet arte malum.

Medicos illos esse memineris, non Deos; curare illos posse sanabiles, non suscitare moribundos.

Hort. Med. part. 2. c. 13.

Palladivs.

At nonnulli balſamis ſuis, vt gloriantur, ſenectutem informem remorantur, atque ita Reiuueneſcentiam, vt ipſi loquuntur, perpetuamque ſanitatem, ac tantum non immortalitatem pollicentur.

Theodorvs.

Corpus ſane medicamentis ſuis contra morbos fulciunt & præmuniunt; dum corporis humores, ipſamque partium ſubſtantiam à corruptione & putredine vindicant ac tuentur: Sed tantummodo ad tempus vſque certum, à Deo conſtitutum; & non niſi diuina annuente gratia, ac voluntate, id ſe facere poſſe adſeuerant.

Apollonivs.

Haud diuina valet medicina fugare ſenectam:
Sed mala multa fugat grauis Ars Phœbea ſenecta.

Avrelivs.

Hactenus de præſtantia, viribus, gratia, & efficacia Balſami Solaris: nunc de eiuſdem ſubiectis, & materia. Illud enim appellaſti antea omnium Mineralium, Vegetabilium, & Animalium corporum, ac cum primis Acidularum, thermarum naturalium, bolorum, vt vocant, metallarium occultum ſpiritum. Primum itaque de Mineralibus, & Metallicis agendum.

5. Auri Medici ſubiecta, & materia. De corporum Mineralium & Metallicorum Solari ſpiritu.

Pal-

PALLADIVS.

Cur tu Mineralia corpora Vegetalibus, & Animalibus in hac serie anteponis?

THEODORVS.

Quia in metallis, succis & terris metallicis, Spiritus hic Solaris quodammodo fortior ac perfectior, quam in Vegetabilibus, & Animalibus existit. Illa siquidem non tam facile, quam hæc, alienum, & præternaturalem calorem (à quo corruptio) admittunt. *Sed tamen infestæ illius, atque arsenicalis, vt ita dicam, malignitatis, à plerisque separatio est admodum difficilis.*

APOLLONIVS.

Est vt humo productus homo; sic venula terræ,
Aurea cui vis est, homini sua robora confert.

AVRELIVS.

Quænam vero ad vsum præcipue eligenda sunt Mineralia?

THEODORVS.

Ea quæ nihil habent erodentis, malignæ "
& deleteriæ, vt loquuntur Medici, qualitatis: "
Aut saltem ea, à quibus illa facilime secerni "
aut separari queat. "

AVRELIVS.

Quænam sunt illa?

THEODORVS.

Aurum, & Argentum: quorum tota substantia facili quidem negotio; artis tamen ad- *Aurum, & Argentum.*

miniculo; absque omni minerali, absque ardente, & arrodente illo vini spiritu, ac salē tartareo; in Sulphur temperatissimum, & quasi viuificum conuertitur. Fortasse & tibi, Apolloni, artificium hoc non est absconditum & incognitum.

APOLLONIVS.

Auri solutio, & exaltatio vera, facilis, & expedita.

Ars docuit mediis, Auri dissoluere corpus,
Quæ nil arrodens, nil Minerale tenent.
Res quædam, Medico quæ multum excellit in vsu.
Soluendo adsimilans, spirituale facit:
Corporis vt partes penetret, volitetque per omneis:
Per varias virus pellat vt omne vias.
Sic tenuis puluis, moderante calore, solutum,
Spirituale Aurum, viuificamque facit.

THEODORVS.

Auri solutio duplex.

Rem ita accipite: Auri vera solutio, duplex est: Vna violenta, quæ fit per vulcanum vulgarem; cuius vi, adaperto auri corpore, cum quibusdam pulueribus Solaribus, ac Sympatheticis illud vnitur, & coniungitur; ita vt aurum medicabile, & penetrabile reddatur: quæ solutio vel vulgarib. nostris chymiatris iampridem innotuit. Altera est Naturalis, quæ fit per Vulcanum occultum, & Acetum illud Naturæ ætherium, vnicum, vniuersale; solis Hermeticis, & Pythagoricis Naturæ consultis cognitum: Hoc modo corpus auri vere demortuum, non modo per id, ex quo à Natura ipsa productum est, suauiter, amiciterque dis-

dissoluitur: Sed etiam velut ex morte resuscitatur; plane viuificum, & quasi spirituale efficitur. De quo arcano omnium maxumo, alio fortassis loco, & tempore.

AVRELIVS.

Non sic effugies; quorsum te proripis? Eia
Siste gradum, cur hæc fratres mysteria celas?
Quid differs? Num sæpe nocet differra paratis?
Fratribus Arcanum Naturæ hoc nobile pandas:
Hoc opus, hic labor est: pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad AEthera sensus,
DIsChari potuere.

APOLLONIVS.

De tanto Arcano ne nunc edissere quicquam:
Auribus, atque oculis non caret iste locus.

PALLADIVS.

Quod differtur, non aufertur, vt est in prouerbio: Nunc ad alia in instituto sermone nostro properandum: fac itaque pergas in enumeratione mineralium.

THEODORVS.

Metallis istis primariis adiungo chalybem, & Ferrum. Ex hisce efficacissima, & tutissima conficiuntur medicamenta: quibus illi omnes ventriculi, hepatis, lienis, matricis, renumque curantur morbi; qui Acidularum naturalium vsu curari possunt. *Chalybs, & Ferrum.*

Exſudans ſiquidem terræ mineralis ab antris,
Lympha acida, eſt Salſugo, rubro cum Sulphure, Ferri.

APOLLONIVS.

SOL, ſpagyris inſtar Crœſi eſt; MARS pauperis IRI:
Aſt Ambo excellunt dotibus ætheriis.
Crede mihi, longo didici quod temporis vſu;
Coniunctum Imperium CROESVS, & IRVS habent.

THEODORVS.

Sulphur viuum. Vitriolum, ſeu Chalcanthum.

Addo his ſulphur viuum; ex quo flores parantur præſtantiſſimi. *Vitriolum, ſeu Chalcanthum*: cuius Spiritus efficaciſſimi, licet pectori, & pulmoni quodammodo infenſi infeſtique ſint; ventriculo tamen, aliiſque corporis partibus valde commodant. *Solaris enim illius Spiritus nonnihil poſſident*: in terra vero Chalcanthi multo plus Solaris illius balſami reſidere & deliteſcere, experientia edocuit. *Adde in his Terram bolarem, ſiue metallarem; theriacalem, ſeu alexiteriam; valde Solarem & balſamicam*; quæ multis in locis reperitur. Quid tu de hac ſentis Apolloni?

Terræ metallares.

APOLLONIVS.

Hæc præſtans nobis, Solaris terra medela eſt;
Qui facti è terra, terra lutumq; ſumus.

THEODORVS.

Adiungo his lapides precioſos, maxume Solares: in quibus ſane plurimum formæ, parum

rum vero materiæ reperitur: *Coralia, rubra, & alba*; frigida, & ſicca ſecundo ordine; Cordi ſingulariter amica. *Coralia.*

Margaritas: frigidas, & ſiccas primo ordine; itidem Cordi, & Cerebro ſimul conſecratas. *Margarita.*

Succinum: Calidum primo, ſiccum ſecundo ordine: Cerebro propter peculiarem quandam ſympathiam cum primis familiare & cōueniens. *Hoc nihil aliud eſt, quam balſamum coagulatum, & induratum: in quod vel vnica deſtillatione commoda, & quidem ſine aduſtione, reſolui poteſt.* *Succinum.*

Tartari Cryſtallum: Valde commendatum à Medicis; tanquam excellens remedium ad purificandum ventriculum, ad expurgandum hepar, lienem, meſenterium, à craſſis, aduſtis, terreſtribus & viſcidis humoribus; vel à fæcibus tartareis; quæ ductibus obhærentes, viſcera prædicta obſtruunt atque offerciunt: adeoque ſeminaria infinitorum propemodum morborum ingenerant. *Cryſtallum Tartari.*

Huius Tartari purificati deſtillatum noſtrum ſaporis gratiſſimi, cum acidulis naturalibus facile certare queat: cuius vſu conuenienti, in morbis plurimis, medicationes omnium maxime tutæ, iucundæ, actioni naturæ conſentaneæ inſtituuntur. Inſigne inſuper eſt ad præſeruationem à morbis peſtilentibus, & contagioſis. Nam naturalem cordis, aliorumq; viſcerum temperiem tuetur: aluum *Tartari deſtillatum.*

laxam præſtat: temperata ſua frigiditate humorum ebullientium, aut putreſcentium (qui quidem ab aere peſtilenti facilime corripiuntur, & corrumpuntur) coaceruationem, & obſtrūctionem inhibet.

AVRELIVS.

Ego hactenus Solarem illum ſpiritum, auri, argentique, metallis ſolummodo ineſſe credidi.

THEODORVS.

Illum, mi Aureli, *Naturæ parens non tantum auri, argentiq́ corporibus; ſed etiam inferioribus metallis, & mineralibus aliis, inprimis etiam thermis, & acidulis benigne conceſſit atq́ elargitus eſt: Sacrum profecto myſterium; ſalutare* Dei *donum.*

AVRELIVS.

De thermis naturalibus. Quod ad thermas naturales attinet, hoc mihi plane perſuaſum habeo; ſi quiddam magni, & quidem ſine periculo, in magnis & periculoſis morbis efficiunt thermæ (vt certe efficiunt; præmiſſis tamen præparantibus medicamentis) id maxume illius occulti, aureoli, ſiderii, Solaris, Cardiaci, & quaſi viuifici Sulphuris beneficio præſtant.

De Acidulis. Nunc de acidulis paullo copioſius diſſeramus.

THEODORVS.

Harum tibi primum deſcriptionem, deinde & vſum traditurus ſum.

AVRELIVS.

Quomodo igitur definis acidulas?

THEODORVS.

Acidulæ ſunt aquæ, imbutæ vaporibus aluminoſis, ſulphureis, & aliis Mineralium, & metallorum imperfectorum, quodammodo glutinoſis; cauernis terræ incluſis, ingenitis & congenitis: vim quandam medicam obtinentes. *Acidularum deſcriptio.*

AVRELIVS.

Sed quales ſunt hæ aquæ?

THEODORVS.

Non ſane aquæ ſunt ſimplices, ſed quaſi compoſitæ; ſeu potius liquores, balſamis mineralium, & metallorum infecti: à quibus plerumque Sulphur quoddam rubicundum, inſtar croci Martis, aut vitrioli vſti, decoctione ſecernitur.

AVRELIVS.

Quamobrem dicis liquores illos imbutos vaporibus glutinoſis; cauernis terræ incluſis, ingenitis & congenitis?

THEODORVS.

Id Experiẽtia iis in locis teſtatur, in quibus terræ adeo vaporoſæ inueniũtur; vt in cauernis, & foueis quibuſdã, aquæ pluuiæ inciden-

tes,

tes, à terræ halitibus ſtatim moueri, & more acidularum ebullire incipiant.

AVRELIVS.

Cur vapores illos vocas aluminoſos, & Sulphureos?

THEODORVS.

Iſtud ex ſapore, & odore harum aquarum plane ac plene deprehenditur.

AVRELIVS.

Cur addis: aquas eas imbutas vaporibus aliis Mineralium, & metallorum imperfectorum?

THEODORVS.

Quia ſeparati ab illis *liquoribus* terreni pulueres, in mineralia, aut metalla perfecta
„ redigi non poſſunt. Generantur itaque non
„ ex metal*lis*, aut mineralibus: Sed ex ipſorum
„ radicibus, & ſeminibus quaſi primigeniis; ca-
„ uernis terræ incluſis, ingenitis & congenitis.

AVRELIVS.

Cur non medicatas dicis *acidulas*, *ſed* potius vim quandam obtinere medicam adſeueras?

THEODORVS.

Quia per ſe & natura ſua potui maxume
„ conueniunt, & citra ventriculi læſionem, ad lubitum bibuntur: ac tantummodo in quantitate maiore, & temporis ſpatio longiore, modo conuenienti hauſtæ, medicantur acidulæ.

AV-

AVRELIVS.

Vnde vero vim illam medicatricem existere autumas?

THEODORVS.

A balſamis illis metallaribus, quibus tinctæ & imbutæ ſunt acidulæ.

AVRELIVS.

Sed quiſnam earum vſus? quæ vis? quæ efficacia?

THEODORVS.

In morbis bilioſis, & febrilibus præcipue potus loco adhibentur; nec vt aliæ aquæ, ventriculum grauant, & lædunt. Nam dyſcraſiam calidam corrigunt, Bilis concitatæ, æſtuantis ac ferocientis impetum, feruorem, acrimoniam, & malignitatem ſeu virulentiam obtundunt, & frenant.

Acidulæ in morbis bilioſis, & febrilibus præcipue locum habent.

AVRELIVS.

Sed qui fit, quod tantum periculi à bile nobis metuendum?

THEODORVS.

Bilis ſua natura mordax, & feruida, alimentis calidioribus, potu, corporis animiq; motu, aeris qualitatibus aduerſis facilime concitatur, ebullit, & excandeſcit; inque venulas hepatis, meſenterii, aliarumque partium diffunditur. Ac ſane in illis tenuioribus, anguſtioribus, ac imbecillioribus venulis obſtructa, & occluſa corrumpitur, & aduritur: hinc reliquorum humorum deprauatio & in-

Bilis, multorum morborum fomes.

inflammatio, hinc maximi morbi originem trahunt.

AVRELIVS.

Magnificiendæ quidem sunt, si huic bilis ebullitioni, excandescentiæ, imo etiam corruptioni, obstructioni, & adustioni obuiam eant & obsistant acidulæ. Sed perge de earum viribus.

THEODORVS.

Acidulæ diuersas quadammodo facultates obtinent.

Pleræque acidulæ, ob diuersorum mineralium commixtionem, diuersas facultates obtinent; & tam dissoluente, abstergente & purgante; quam adstringente, corroborante & alterante vi sunt præditæ; in gradibus nimirum remissis, vt loquuntur Medici: Sicut ex Vegetabilibus Rhabarbarum, Myrobalani, Fumaria, Cichorium, & alia.

AVRELIVS.

Sed quomodo purgant & abstergunt?

THEODORVS.

Tartareos, adustos, viscidosque humores omnes; non modo ab vsu vini, sed etiam ex aliis alimentis biliosis, & nitrosulphureis natos, partim per vrinam, partim per sudorem placide educunt & expellunt: Oppilationes venularum vel tenuissimarum, acredine sua sensim aperiunt, flatusque discutiunt.

Av-

AVRELIVS.

Quomodo autem alterant? vt Medicorum verbo vtar?

THEODORVS.

Temperie ſua, ad Auri naturam temperatiſſimam adſpirante, efferueſcentium humorum impetum, & acrimoniam obtundunt, putredinemque ne ſerpat longius inhibent. Occultam etiam illam ac malignam qualitatem corrigunt, conficiunt, & abolent. Partium inſuper ſubſtantiam ad temperiem æqualem ſeu naturalem reducunt, earumque Vigorem natiuum mirifice excitant, & exacuunt. Balſamo denique ſuo viuifico humores corporis omnes, ipſamque membrorum ſubſtantiam, ad tempus certum à Deo conſtitutum, à corruptione ac putredine tuẽtur.

AVRELIVS.

Hactenus de viribus & facultatibus acidularum: nunc de vero ipſarum vſu, obſeruationes aliquas expeto & expecto. *De vſu acidularum, obſeruationes.*

THEODORVS.

I. Vſus huius aquæ ad ipſum acidulum commodiſſimus. Nã acor ipſius gratiſſimus, qui ex halitu quodam aluminoſo exiſtit, à motu validiore, ab aere nebuloſo ac nubilo, ac inprimis ab auſtrinis flatibus, & à calore intenſo cito mutatur & corrumpitur.

II. Acidularum vſui præmittenda ſunt præparantia medicamenta; cathartica nimirum

mi-

mitia, blanda ac benigna; tnemata, & similia. Hisce enim crassior illa illuuies non tantum excrementorum, sed etiam humorum peccantium, ac tenacium attenuanda, dissoluenda, & educenda; Meatus insuper viarum cõmunium referandi, vt acidulæ per easdem facilior pateat transitus. Hæc iucundis vehiculis, ex Rhabarbaro, polypodio, Manna calabrina; Sena, Epithymo, Cassia fistulari; Mechoaca, Agarico extrahenda; additis Cinnamomo, Zingibero, Caryophyllis, corticibus mali Citrii, & hisce similibus.

III. Præmissa euacuatione conuenienti, Vsus acidularum verus ægrotis ostendendus.

Ipsarum enim ingurgitatio immodica, vtpote naturæ nostræ plane aduersa, summopere fugienda. Cum certum sit, plerasque acidulas, & thermas laudatissimas suis haud carere impuritatibus, arsenicalem quandam malignitatem & virulentiam obtinentibus; quæ calorem vitalem, humoremque cordi præcipue ingenitum sensim dissipant. & depascunt; ac reliquarum principum partium vires dirimunt, & abolent; ipsamque earum substantiam corrumpunt, & inputredinem cadauerosam deducunt. Tum mordaces, ac erodentes humores, vna cum calore alieno, in corpus inuehunt; Naturales autem in prasinam, & æruginosam bilem conuertunt; Quod ex ægrotorum vomitione apparet.

ret.

ret. Præcipue autem asthmaticis, & pulmoniacis aduersantur. Dic tuum, Apolloni, de acidularum ingurgitatione iudicium.

APOLLONIVS.

Tu fontes acidos nimio haud potaueris vsu:
Sed quæras, vnde hæc vnda nocere queat?
In prasinam humores solet hæc conuertere bilem:
Vt quoq; Chalcanthi spiritus ille ferox.
Id sæpe ex ægri vomitu cognoscere, promptum est:
Et quandam arsenici vim tenet vnda feram:
Quæ sensim exstinguit pulmonum aboletque vigorem,
Et vitæ rorem pascitur ingenitum.
Cuncta creata Dei, bona sunt: modo noueris vsum:
Rite haustæ hæ lymphæ commoda magna ferunt.
Vina, crocumque iuuant, & cordi robora gignunt:
Sed sumpta immodice, vina, crocumque nocent.
Naturam lædit, quicunque ingurgitat illam,
Et solitas partes perforat ipse sibi.
Hæc tibi magnorum monstrant exempla virorum:
Casibus edoctus qui sapit, ille sapit.

Acidularum immodicus vsus, seu cõsueta ingurgitatio vitanda.

Acidulæ in vero, & moderato vsu maxime prosunt.

THEODORVS.

Addo iam quartam de vsu acidularum obseruationem:

IV. Sudoris per deambulationem matutinam, aut balneum Laconicum, aut alia media mouendi ratio ægrotis ostendenda.

V. Ratio victus aliquanto liberior concedenda; cum acidulæ coctionem ventriculi

adiuuent, & alimentorum corruptionem inhibeant.

AVRELIVS.

Quid de acidularum destillatis nuper inuentis iudicas?

Acidularum destillata.

THEODORVS.

Illis sane plurimum tribuo: Licet vero sapor acidus sublimatione, in illis corrumpatur; & ab iisdem aluminosus, & vitriolatus Mercurius exhalet; attamen in se continent subtilissimum quemdam Sulphuris Solaris, volatilis Spiritum, id est, Mercurium Solis
» temperatissimum; qui omnem corporis ca-
» lorem præternaturalem exstinguit & abo-
» let.

Spiritus vitrioli duplex.

Sicut enim destillato vitrioli, quod est quædam acidula artificialis, duplex inest spiritus; tum acidus, aluminosus, erodens, & quodammodo arsenicalis; tum dulcis, erosionis expers, Sulphureus, & maxume Solaris; qui postremus est præstantissimus, vt experientia, Artis Medicæ Mater, atque Magistra testatur: Ita etiam quælibet acidula in se duplicem continet Spiritum: Vnus est acidus, aluminosus, erodens; qui propter tenuitatem summam à calore ignis subito mutatur & corrumpitur: Alter est dulcis, erosionis expers, Sulphureus, maxume Solaris; in vsu medico excellentissimus, & tutissimus. Atque hæ acidularum aquæ stillatitiæ, vt citra

Acidularum spiritus duplex.

tra

tra nauseam & fastidium; sic & citra noxam, & periculum exhibentur. Ab illis enim arsenicalis, erodens, ac lethalis cruditas, & malignitas, præparatione commoda separatur.

Inseruiunt iis, qui ab acidularum vitriolatò acore abhorrent; quorum plurimi reperiuntur: & quouis anni tempore vsurpari possunt; Cum diutissime incorruptæ conseruentur. Thermis insuper vtentibus, cumprimis sunt accommodæ: & citra nauseam, & noxam ventriculi, in morbis febrilibus, potus loco adhiberi possunt.

Hactenus de Mineralium, & Metallicorum corporum facultatibus Solaribus.

AVRELIVS.

Si tam prodigiosis, vt tu narras, viribus pollent metallica, & mineralia corpora; mirum mihi non videtur, ex ipsis arte nostra, confici lapidem illum Philosophicum, seu tincturam metallorum aurificam: cuius sane contactu omnia inferiora metalla in aurum perfectissimum transeunt: vtq; canit Augurellus: *Lapis philosophicus.*

Illius exigua proiecta parte, per æquor;
Argentum viuum, quod si totum foret æquor:
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

THEODORVS.

O Hyperbolen! ô tubam vere poeticã! Au-

rum, Aureli, iterum captas: Apage istas pseudochymicorum, vere è flamma cibum petentium vanitates, nugas & ineptias, stultas, aniles, atque ridiculas. *Hic tibi solaris rerum medicarum spiritus sit lapis lapidum omnium pretiosissimus: hic Ramus ille vere aureus; hoc Balsamum cœleste: hæc aurea illa Mala, ex floridis Hesperidum hortis decepta: vsque dum diuina benignitate, ad altiora Hermeticæ scientiæ conscendere detur fastigia.*

Palladivs.

Dignum profecto homine solerte est, in abstrusis elaborare plurimum. Laudandi igitur sunt, quicunque abstrusissimum hunc thesaurum, nocturna, diurnaque quærunt industria; & sedulo auriuorum (auriferum dicere volui) exercent artificium.

Syl[?]ivs.

Sed paucos tanto dignantur munere Diui: vt canit Palingenius.

Theodorvs.

Abutuntur arte nostra, qui tantis sumptibus, & conatibus illam tincturam Metallorum preciosissimam, & benedictissimam, vt vocant, quærunt; Cum vera etiamnum ab ipsis ignoretur materia, ex qua effingi, aut confici illa debeat. Plura nunc de hisce vanitatibus, & ineptiis ex te audire cupio, Apolloni.

Lapidis auriferi, atherii materia pseudochemistis etiamnum ignota.

Apol-

APOLLONIVS.

O fatuas hominum mentes! O pectora cæca!
Quod Regum plebi polliceantur opes.
Heu quantas miseri, fugitiuum mente sinistra
Quærentes lapidem, dilapidamus opes!

AVRELIVS.

Tacete dictum: Poetaris, & fortasse ludis, Apolloni: Nostin' abusum non tollere verum rei vsum: Et artificum vitia, & ignorantiam, ipsis artibus non esse imputanda. Noli igitur artem ipsam versu arrodere; aut si istuc sive imprudens, siue impudens feceris; hoc à me accipies dictum:

Ignorans artem, dente artem rodit, & odit.

PALLADIVS.

Sed quæ, Naturæ scrutans mysteria rerum,
Et arte hac sapiens commoda ferre potest?

APOLLONIVS.

Dulcia, læta animis, immo aurea somnia portat:
Nulli diuitias hactenus illa dedit.
Spebus alit, nil rebus agit: tu mentis honestas
Quære voluptates; respue diuitias:
Has cape delicias: quod vulgus captat, & optat,
Sublimi immensum despice mente lucrum.
Cumque voluptates commendet rarior vsus:
His parce aureolis vtere deliciis.

THEODORVS.

De arte hac carbonariorum, & ciniflonum volcaniorum, deque illo non Hermetico, sed

poetico lapide, Lappam maiorem metallicorum philoſophorum, in Hortulo Medico, ſi lubet, conſulere poteris.

SYLVIVS.

De Vegetabilibus, & Animalibus corporibus, Solari facultate praditis.

Si iam ſatis, Amici, differuiſtis de Mineralibus, & Metallicis, pace veſtra liceat, ab iſtis aurifodinis medicis, exſpatiari paullulum in noſtras ſylnas, viridaria, prata, hortos, & agros amæniſſimos, Ecquid, Theodore, cæliflui, ac ætherii iſtius nectaris, Solaris, atque ſalutaris ambroſiæ, & opobalſami; ecquid auri medici, Vegetalium, & Animalium habent corpora?

THEODORVS.

Plurimum ſane, vt ante etiam monui. Nam præter elementarias medicorum qualitates; immo etiam ſpecificas illas ſimplicium, quas vocant, proprietates (de quibus copioſe præſtantiſſimi Medici ſcripſerunt) pleraque Vegetalia, & Animalia, Balſamo hoc ſolari, & ſacratiſſima iſta Medicorum pandora, & Panacea gaudent atque abundant. Et quo plus aureoli illius Balſami poſſident; eo meliora ſunt, tutiora, & efficaciora. Imo ſi quo medio aut remedio, ſi qua vi, aut via corpori humano vires conſeruantur, aut inſtaurantur naturales; aut totum corpus quaſi incorruptum, ad certum vſque tempus, à Deo Opt. Max. conſtitutum, cuſtoditur; & tam ſubſtantia partium, quam humores à putredine

dine vindicari queunt: Hoc medio, & remedio (diuina supremi illius Medici annuente benignitate) id effici, certum est.

SYLVIVS.

Nunc mihi, quæso, enumeres vegetabilia, vt vocant, præcipua: In quibus vis illa occulta, siderea, Solaris, Cardiaca, & viuifica, seu opobalsamum aureum maxume delitescit.

THEODORVS.

Lubentissime. Horum pleraque præter ipsas elementales qualitates; etiam propter vim naturalem, & præsentaneam; nonnulla etiam ob occultam totius substantiæ proprietatem, corruptioni, putredini, venenis, pestique obsistentem; rebusque tota substantia, atque forma sua, principum corporis partium vires, substantiam, ac humores lædentibus contrariam; à summis Regibus, & Medicis, multarum scientia, vsuq; rerum celeberrimis cumprimis sunt nobilitata. *Alexipharmaca, seu alexiteria.*

Quædam præterea ex his, natura sua, & quidem totius ferme substantiæ proprietate abdita, singularem singula cum singulis corporis partibus, Sympatheiam obtinēt; sic sane, vt præteritis aliis, ad illa præsertim se conferant, iisque adminiculentur, quibus à Natura putantur destinata; ipsaque membra auide, non solum nutrimentum, sed medicamentum etiam sibi salutare, familiare & proprium alliciant, eoque fruantur, vt erudítis-

ditissimorum medicorum verbis vtar; quorum vnumquodque singulatim tibi exponam.

Catalogus simplicium Solarium secundum distinctas qualitatum primarum classes, & literarum alphabeticum ordinem.

Nunc igitur, simplicia illa vegetalium Solaria tibi recensebo: & quidem memoriæ iuuandæ causa, secundum distinctos primarum qualitatum gradus, & literarum alphabeticum ordinem.

SYLVIVS.

Horum cum alia, qualitate manifesta, & elementaria, sint calida, alia frigida; dic, quæso, quænam censentur calida, & sicca primo ordine?

THEODORVS.

Calida, & sicca primo ordine.

AGRIMONIVM, siue *Eupatorium*; quod naturali quadam sympatheia, speciatim iecori male adfecto succurrit.

AMYGDALA Dulcia: pectori præcipue, & ventriculo amica.

BVGLOSSVM vtrumque, tum agreste, tum hortense; quod *Borago*, siue *Corago* (à Lucanis, vt Apuleius refert) appellatur: cordi peculiariter familiare & amicum.

CHAMÆMELVM vulgare, & *Chamomilla Romana*; præter alias dotes, anodyna facultate speciatim pollent.

GLYCYRRHIZA; temperate calida: sacra pulmoni; ac inhibendis stomachi, iecinoris, renumque inflammationibus accommoda.

SYL-

SYLVIVS.

Quænam ſunt calida primo, & ſicca ſecundo ordine? *Calida primo, ſicca ſecundo ordine.*

THEODORVS.

ABSINTHIVM vulgare, & Romanum; ventriculo præcipue, dehinc & præcordiis, & iecori opitulantur.

CORIANDRI *ſemen*, *correctum*: ventriculum præcipue roborat, coctionemque adiuuat; eiuſq; exhalationes in caput ferri prohibet.

ERYNGIVM: aduerſus venena antidotum.

FVMARIA: Viſcerum omnium obſtructiones tollit, eaque corroborat.

NVMVLARIA, ſiue *Serpentaria minor*: putredini, & febribus inimica.

SALVIA: Cerebrum, atque ventriculum corroborat.

SPINÆ ATRÆ, ſiue *Pruni ſylueſtris flores*: obſtructiones viſcerum reſerant: cor, & caput roborant.

SYLVIVS.

Quænam ſunt calida primo, & ſicca tertio ordine? *Calida primo, ſicca tertio ordine.*

THEODORVS.

CHINA, *radix*, valde extenuat; ſudorem mouet, & exſiccat; ideoque putredini reſiſtit; iecur confirmat; hydropi auxiliatur: Vlcera maligna ſanat, lepram, & elephantiaſin curat; gallico morbo ſuccurrit; corpus ali-

mento destitutum reficit; scirrhis iecoris maxume prodest.

SARSAPARILLA; luem veneream sanat; prodest morbis articularibus, vlceribus, laxis ex pituita, & defluxione tumoribus; cerebri, & capitis vitia emendat; iecur confirmat; lienem extenuat; incipientem elephantiasin discutit.

SYLVIVS.

Calida, & sicca secundo ordine. Quænam sunt calida, & sicca secundo ordine?

THEODORVS.

ACORVM, siue *calamus odoratus*; Ventriculo frigido cumprimis conueniens.

ADIANTVM, *capillus Veneris*; renibus præcipue adsignatur.

ALOE; ventriculum impense roborat, & expurgat; de qua postea.

ALTHÆA; renibus, & vesicæ sacrata.

BETONICA; vtraque, purpurea & alba;

Antonii Musæ nobilitate libro:

Putredini aduersatur: de hoc dicterium Italorum:

Betonicam magnis superas virtutibus ipsam:

CALTHA, siue *Calendula*; cordi sacra, venenis resistit.

CARDVVS *Lacteus*, siue *Carduus Mariæ*; Bilis concitatæ feruorem, impetum, acrimoniam, & malignitatem compescit, oppilationes-

tioneſque venarum aperit; pleuritidem tollit: Lactaria à nonnullis dicitur.

CROCVM: Cordi ſpecialiter conſecratum & attributum; ſanguinem puriorem reddit, vrinamque ſatis copioſe ciet: Doſis eius eſt ℈ dimidius.

IVNIPERI Baccæ; ſtomacho, pectori, renibus vtiles ſunt.

LAVRI Baccæ; putredini malignæ valide adverſantur; ac matrici, obſtructione laboranti ſingulariter conſecrantur.

LIBYSTICI, ſiue *Leuiſtici ſemen*; Renum, veſicæ, & vteri vitiis confert.

LILIVM conuallium; cerebro laboranti peculiari adfectu ſubueniens.

MASTIX, ſeu *Maſtiche*, ſtomacho ſingulariter auxiliatur: Et vel vapore ſolo, capitis defluxus ſiſtit & cohibet.

MEL; putredini obſiſtit, & humores viſcidos attenuat.

MELISSA, ſiue *Meliſſophyllum*, matrici ſpecialiter dicatur.

MILLEFOLIVM; putredini aduerſatur.

MYRRHA; putredini malignæ inimica.

OCYMVM, ſiue *Baſilicum*; Cardiacum eſt.

OSTRVTIVM, ſiue *Aſtrantia*, Imperatoria, Angelicæ vires nobiliſſimas cumprimis æmulatur.

PAONIA, cuius Mas præſtantior eſt fœmina,

mina; peculiarem cum cerebro, & matrice inprimis ſympatheiam obtinet.

PERSICORVM malorum, flores, nuclei, folia; feruorem, acrimoniam, ac malignitatem humorem obtundunt.

PETROSELINI, ſiue *Apii veri*, *herba*, *&* *radix*; ventriculo, & renibus commodiſſima.

PIMPINELLA; pectori dicata, & renibus valde amica.

RHAPONTICVM; obſtructiones aperit, ſimulque partes roborat.

RVBIA; hepati conſecrata.

SAMBVCI flores, baccæ, acini, cortex, radix; hydropicis inprimis accommoda; vt & ebulus: ſingulares præterea in variis morbis vires obtinent.

SCABIOSA vtraque, maior, & minor; pectori, & pulmoni præcipue ſacra; venenis obſiſtit.

SCOLOPENDRIVM, Hemionium, *Aſplenum*, *&* *Cetarachum*; lieni male adfecto ſingulari proprietate quadam, auxiliatur.

SCORDIVM; putredini malignæ, veneniſque reſiſtit.

TEREBINTHINA; putredinem ſerpentem cohibet.

THVS ALBVM; putredini aduerſatur.

VALERIANA; *phu dicta*; Menſes potu, ac fotu ducit, & vrinas: putredini malignæ obſiſtit.

VERBASCVLVM; vulgo, herba paralytica, & pri-

primula veris; cerebro, & neruis singulariter commodat; sicut etiam verbascum.

VINCEDOXICI radix; Hydropi, & Ictero aduersa.

VISCVM QVERCINVM; cerebro præcipue, propter specialem quandam sympatheiam, adsignatum; & epilepsiæ contrarium.

SYLVIVS.

Quænam sunt calida, & sicca tertio ordine?

Calida, & sicca tertio ordine.

THEODORVS.

ABROTANVM; putredini aduersatur.

AMARACVS; *Sampsuchum, Maiorana*; cerebro cumprimis dicatur.

AMYGDALAE amaræ; lieni male adfecto peculiariter natura accommodatæ.

ANISVM; pectori, iecoriq; frigidiori accommodum.

ANGELICA; putredinis, pectisque hostis.

ARISTOLOCHIA, *rotunda*, *& Longa*; pectori sacra.

ARTEMISIA; matricem speciatim respectat & iuuat.

CARDVVS *Benedictus*, *Atractylis hirsutior, vel Acanthium, Cardunellus*; obstructiones internorum viscerum tollit; putredini obsistit.

CARVN; vulgo Carui dictum, ventriculo saluberrimum, venenis aduersatur.

CARYOPHYLLVM; Cephalicum est.

CARYOPHYLLATA; cerebro inprimis amica.

CEN-

CENTAVRIVM minus; Galeni libro nobilitatum; iecoris, splenis, renum, & vteri obstructionibus expediendis vtilissimum.

CENTAVREA, fuit magno panacea Galeno.

CHAMÆDRYS; quasi pusilla quercus; viscerum obstructiones valide soluit.

CHELIDONIVM, oculis præcipue dicatum.

CINNAMOMVM, siue *Cinnamum*; cordi familiare.

DICTAMNVM Creticum, & album vulgare; siue fraxinella; venenis, pestique aduersatur.

FOENICVLVM, siue *Marathrum*, oculis præcipue addictum.

GENTIANA; putredinis malignæ hostis.

GVAIACVM; lignum magna ex parte resinosum; putredini malignæ, ac præcipue lui Indicæ, seu venereæ obsistit. Huius vires æmulatur lignum Sassafras.

HELENIVM; pulmoni, & pectori specialiter dicatum.

HYPERICVM, siue *Perforata*, putredini obsistit.

HYSSOPVM; pulmoni, & pectori inprimis sacratum.

MALI punici, siue *granati*; Medici, seu Citrii Limonii, & Aurancii Cortices, semina succi: semina & cortices, venenis inprimis resistunt, & cordi naturali propinquitate sunt coniuncta.

NVX

NVX *myristica, eiusque macer*; cephalica sunt.

PETROSELINI, seu *Apii domestici*, ac hortensis semen, renibus peculiariter opem ferens.

PVLEGIVM; Matrici consecratum.

RHABARBARVM, seu *Rheumbarbarum*: iuuandis, firmandis, & ab excrementis expurgandis, iecori ac vesiculæ fellis præcipue dicatum.

ROS *Marinus, Libanotis*; cerebrum, & matricem præcipue respicit.

RVTA; Venenis, pestique obsistit.

VERONICA; putredini maligne aduersa.

ZEDOARIA, Tyriacæ similis, à nonnullis iudicatur.

ZINGIBERIS *radix*; ventriculo frigidiori præcipue salutaris.

SYLVIVS.

Hactenus simplicia Solaria qualitate calida: Dic porro quænam sunt frigida, & sicca primo ordine? *Frigida, & sicca primo ordine.*

THEODORVS.

CYDONIA *mala*; ventriculo calidiori commoda.

SACCHARVM *Cannarium*, & *Canditum*; putredini valide obsistit; ab eaque partes, ac humores præseruat & tuetur.

SYLVIVS.

Quænam sunt frigida, & sicca secundo ordine? *Frigida, & sicca secundo ordine.*

THEO-

THEODORVS.

ACETOSA, *rumex*, siue *Oxalis*, cordi præcipue consecratur.

BERBERI; Oxyacanthæ fructus, cordi, & hepati familiares.

Hort. Med. part. 2. c. 18. CICHORIVM, item *Endiuia*; amaris *Intybasibris*; hepati singulariter consecrata.

FRAGARIA; bilem ferocientem, & abundantem præcipue domat.

PENTAPHYLLVM; Tormentillæ vires æmulatur.

PLANTAGO, *Arnoglossum*; Hepati singulariter conueniens.

PRVNELLA, *consolida minor*; *Bilis* vtriusque feruorem, acrimoniam, & malignitatem compescit.

PVLMONARIA; putredini obsistens, & pulmonibus sacra.

RIBES; serpentem putredinem inhibent, ac bilis ferocientis impetum frænant.

Hort. Med. par. 2. c. 17. ROSAE, *rubræ*, *& albæ*, *tam hortenses*, *quam agrestes*; cordi peculiariter dicatæ, bilis impetum inhibent.

SYLVIVS.

Frigida, & sicca tertio ordine. Quænam sunt frigida, & sicca tertio ordine?

THEODORVS.

SANTALIVM; Hepati sacrum.

TORMENTILLA; torminibus, venenis, pestique inimica.

CA-

CAPHVRA; frigida, & sicca quarto ordine: cuius deleteria qualitas aut conuenienter corrigenda, aut separanda.

SYLVIVS.

Quænam sunt frigida primo, & humida secundo ordine?

Frigida primo, & humida secundo ordine.

THEODORVS.

TVSSILAGO: pectori, & pulmoni singulariter amica; feruorem humorum ferocientium obtundit.

VIOLÆ purpureæ, siue *Martiæ*, cordi, & cerebro gratissimæ.

NYMPHÆA alba: frigida, & humida secundo ordine; Hepati sacra est.

SEDVM, siue *semperuiuum*; frigidum tertio, & siccum secundo ordine; bili ferocienti aduersum.

SYLVIVS.

Hactenus pleraque simplicia Vegetalium Solaria, & Balsamica.

APOLLONIVS.

O Syluam herbarum, Solis virtute potentum!
O quanta auricomis formosi in floribus horti,
O quanta arboreis virtus in fœtibus exstat!

AVRELIVS.

Digressio ad materiam Medicinæ Hermeticæ, omnium maxume Solaris.

Si nunc se nobis ille aureus arbore Ramus
Ostendat, nemore in tanto!

APOLLONIVS.

Quem dicis ramum? tibi qui suspiria cordis
Alta ciet; Votis quem sic ardentibus optas?

AVRELIVS.

Ramum opto auriferum; de quo diuina Maronis
Musa canit: primo auulso, non deficit alter
Aureus; & simili frondescit virga metallo.

APOLLONIVS.

Ah ne tanto auri incassum tenearis amore:
Haud dignum hoc homine est votum, qui cœlica spectat,
Qui terras humiles, fluxa & mortalia spernit;
Qui Satanæ laqueos vitare & retia curat.
Iam magis atque magis radiantis lumine Rami
Gaudebis; mentem si dicto adhibebis, & aurem.

AVRELIVS.

Non ego tam aurum sitio, quam panaceam illam corporis humani Hermeticam, omnium maxume solarem cognoscere desidero. Fac saltem nomine, mi Theodore, laudatissimæ istius medicinæ materiam proximam mihi aperias & exprimas: Id si abs te impetrauero, vere beatum me iudicauero.

THEODORVS.

Nominare non ausim: eamdem potius vobis, Fratres amantissimi, vtpote philosophis Pythagoricis (sub lege, vt nostis, silentii fidelissimi) palā mōstrare, & ostēdere malim.

APOLLONIVS.

O socii, in sylua Syluii hic spaciamur & horto:
Non caret aure hortus, non caret aure nemus.
Nemo vsquam sapiens expresso nomine dixit
Viuificum id Sulphur, Mercuriumque Sophum.

THEO-

THEODORVS.

Perlustrate, fratres, schedulam istam, quæ instar Tabulæ Hermeticæ, verā secretissimæ, & vetustissimæ huius Scientiæ Clauem, Arcam, & Arcem graphice depictam, & ob oculos positam vobis exhibet. Rem sane permagni momenti isthæc pagella continet, vos Fratres, summo studio & solertia legite, relegite, attendite, perpendite: ne vobis idem (quod vulgaribus, Vulcaniis Chymiatris) accidat; qui sæpenumero satis aperte & perspicue dicta, in diuersum & alienum sensum rapiunt, atque exinde nugas volatiles, & fixa mendacia sectantes, plurimos secum in Erroris abyssum trahunt ac præcipitant.

Nunc demum adspice, mi Aureli, aureolum hunc laticem vitæ (nōn vitis) plane cælestem; qui cum Tartaro hoc suo Solari (haud vulgari) facilime vnitur. Adspice hanc Lympham Mercurialem, Chrystallinam; quæ cum isto suo *Solari Sulphure*, *facili* negotio copulabitur, & successu tēporis tandē transformabitur in Carbunculū rubicundissimū.

En aquam pluuiam, plane aeriam, ætheriam, purissimam; quæ facile vnitur cum terra hac sua tenuissima, & deniq; transit in ignem omnium subtilissimū, & perfectissimū. En illud oleū, seu balsamum philosophorum vere incombustibile; Aquā Regiam permanentē; Acetum *illud* philosophicū, omnia subluna-

ria corpora vere ſoluens, & in principia ſuā redigens: Chymiatris noſtris Vulgaribus, Carbonariis, & Spargyricis Vulcanicis plane ignotum. En Phæbum Philoſophorum Hermeticorum, quem Phœbus ille cœleſtis, vereque vitalis produxit in hoc mundo inferiore: cui tanquam Filio cumprimis dilecto, omnes omnium ſiderum, plātarum, lapidum, animalium, ac mineralium proprietates & virtutes indidit, in forma quidem viſibili ac ſenſibili: quas ipſe in forma plane cœleſti, ætheria, inſenſili, & quaſi ſpirituali poſſidet.

AVRELIVS.

Proh Deum immortalem quid video? Agnoſco equidem materiam proximam veri illius, & viuifici rerum balſami; aurificumq; illud Semen, Radicem vernantem ac vireſcentem, imo matrem ipſam Solis Metallici fœcundiſſimam.

APOLLONIVS.

Semina hæc tantum puro ſpiramine ad auras
Ætherias, quantum radice in tartara tendunt:
O Auri tenues, Auræ o penetrabilis Ignes!

PALLADIVS.

O ſacroſanctum, ô ſummum Phyſicorum myſterium! En oculis conſpicor nitidiſſimam illam Solis, imo Ætheris alti progeniem; Naturæ Miraculum, ſeu Organum multiplicis, vt ſic loquar, Mirabilitatis in ſublunari hoc mundo.

AV-

AVRELIVS.

O ſpeculum totius Luminis Naturæ ſplẽdidiſſimum! Nunc ego longe aliis oculis, quam antehac, intueor Solem illum excelſum, ac cœlum ipſum ſidereum, & aereum, totumque hoc pulcerrimum mundi ſublunaris theatrum: cauſſarum denique naturalium profundiſſima fundamenta iam nunc altiore ingenii indagine exquirere, atque exſculpere, euoluere, atque reuoluere, aueo & geſtio: Iamque mihi ad ipſum Solis ſolium aureum, ætherium, & viuificum magis magiſque aſcendere, propiuſque accedere videor.

PALLADIVS.

Nunc ego multo terſiore mente, & rationis acumine multo maiore penitius introſpicio, & felicius aſſequor pleraque illa veterum ænigmata, figmenta, parabolas, fabulas; quibus Hermetici, & Pythagorici philoſophi maximum hoc naturæ arcanum Sophiſtis & impoſtoribus, Volcani, Plutique filiis obtegere & obuelare conſueuerunt.

En Rorem cæli, pingui cum Sulphure Terra.

Ecce Aquilam Iouis, & Solis validum ecce Leonem.

Ecce Solis, Lunæque Filium Mercurialem: qui aſcendit è terra in cœlum, iterumq; de cœlo deſcendit in terram: & ſic vim recipit ſuperiorum, & inferiorum: quod in Sma-

ragdina illa magni Hermetis tabula ſcriptum reperitur.

APOLLONIVS.

Salue delicium Superum, Phœbea propago:
Naturæ felix, viuax, ſacer, vnice phœnix:
Securus moreris, quia morte renaſceris atra:
Mors ea vita noua eſt, blanda eſt & amanda voluptas.
O Aquilinum ouum, Pandora, & Flora Sophorum!
O lætos oui fœtus, o germina Floræ!

PALLADIVS.

O admirandam Naturæ Sympatheiam! præ ingenti amore, Fœmina videtur interficere maritum ſuum mellitiſſimum: & poſtea maritus interimere videtur coniugem ſibi vnice dilectam: atque hoc modo illi ambo coniuges, in fœcundiſſimo ac florentiſſimo ſuo connubio, filios procreant omnium formoſiſſimos, gratioſiſſimos, & fortunatiſſimos.

AVRELIVS.

O lætum, ô feſtum, & fauſtum mihi hunc diem, quo tam præclarum & rarum, tam gratum diuque exoptatum Naturæ arcanum, fauente, & adſpirante illa diuinæ benignitatis aura, adeptus & conſequutus ſum: Nunc mihi minime quieſcendum aut ſtertendum arbitror: ſed ſedulo opera danda erit, vt primo quoque tempore, hoc tantum mihi comparem & acquiram bonum.

APOL-

APOLLONIVS.

Quidnam adeo properas? tua adhuc, tua messis in herba est:
Differ, amant certas ardua quæque moras.

THEODORVS.

Nosti sane, nosti hunc aureum, Aureli, Naturæ thesaurum, imo hisce oculis tuis iam vidisti, & sæpius in mundo hoc sublunari vides: sed nondum tamen habes, nondum manibus hisce tuis tenes & possides, nec ipsius tibi vsus est concessus: Singulare hoc Dei Opt. Max. donum est, quod pro bona, & paterna sua voluntate, quibuscunque vult, suo demum tempore, mortalibus elargitur: Non modo summa cum admiratione; sed etiam grata animi pietate, obuiis vlnis apprehendendum.

PALLADIVS.

Ad hanc tam preciosissimi thesauri inuentionem & acquisitionem recte accommodari potest illud Maronis, de Ramo suo aureo.

Ipse volens, facilisque sequetur,
Si te Fata vocant: aliter non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.

AVRELIVS.

Verum quid ista tanti thesauri notitia mihi proderit; si nondum illius compos fieri potero, si tam præclarum opus nondum licebit aggredi?

Theodorvs.

Duplex tibi iſtius ſcientiæ vſus erit: Primus, vt tibi cauere poſſis à Chemiſtis illis auripetis, auriperdis, vagabundis, fugitiuis, famelicis, fumiuendulis: quos Laborantum titulo vulgus hodie decorare & inſignire ſolet: quæ peſtes, Harpyiæ, & Chimæræ Chemicæ non tantum diuites & opulentos homines plebeios, ſed etiam ipſos ſummos, & ſapientiſſimos principes, Reges, Imperatores dementant, auro argentoque artificioſe emungunt, iiſque, prout libitum eſt, illudunt. Cum iam plane ac plene perſpexeris, Impoſtores illos toto cœlo, totaque errare via; vtpote qui non tantum materiam tanti theſauri, quem anxie quærunt, proximam; aurificumque illud ſemen, atque veram radicem, & matrem metallicorum corporum ignorent: Sed etiam contra artis Hermeticæ fundamenta, ac ipſius Naturæ principia atque ductum, labores vanos in metallicis & mineralibus corporibus ſuſcipiant & experiantur: Cum vero Naturæ organo, quo ipſos agere oportebat, plane deſtituantur.

Apollonivs.

Quid iuuat inſano tantum indulgere labori?
Æthiopem, & laterem cur tanta lauare voluptas?
Siſyphium ſaxum cur voluere tanta cupido eſt?

Theodorvs.

Deinde & alius tam iucundę ſcientiæ erit vſus:

vsus: vt nimirum diiudicare & discernere discas veros illos & genuinos Hermetis discipulos, à vulgaribus philosophastris, Chymiatris, & Spagyris Vulcaniis: qui Mercurialibus suis, maxume virulentis, exitialibus, & lethiferis medicamentis admodum gloriantur: quorum libris, & profundis, si DIs placet, arcanis iam totus ferme orbis scatet.

Vides enim illos ipsos etiam elatos, inflatosque vt plurimum homunculos. Vera Physices Hermeticæ principia; ac inprimis Acetum illud Naturæ vnicum, vniuersale, æthereum, omnia & singula sublunaria corpora vere soluens, & in primam sui materiam perducens ignorare; ac insuper in indagandis Naturæ mysteriis cæcutire, à vero aberrare, & delirare plurimum.

SYLVIVS.

Sed iam progrediamur in instituto nostro: perlustrauimus hactenus, Theodore, Simplicia, vt vocant, mineralia, & vegetalia: Nunc tandem adiicias velim simplicia quædam Animalia, cumprimis Solaria, & Balsamica.

Simplicia animalium Solaria.

THEODORVS.

ALCES vngula, epilepsiæ, aliisque capitis morbis peculiariter opitulatur.

BEZOAR, lapis; pesti, cunctisque venenis obsistit.

CAPONVM, & Gallinarum carnes; calidæ & sic-

temperate: harum deſtillata ventriculum, & cor roborant.

CANCRORVM lapilli; frigidi, & ſicci ſecundo ordine, ſanguinem corruptum, & obſtructum diſſoluunt, & expellunt, calculoſq; confringunt.

CASTORIVM, calidum, & ſiccum tertio ordine; cerebro, neruis, & matrici addictum.

Hort. Med. par. 2. c. 21. *CORNV ceruinum*; calidum & ſiccum ſecundo ordine: cornu vnicornis efficaciſſimum æmulatur.

CORNV vnicornii: omnium maxume creditur cor tueri; veneni vim omnem obtundere, & peſtilentium morborum perniciem lenire: vt Fernelii verbis vtar.

LVPI, piſcis, maxilla: pleuritidem præcipue tollit.

OVA recentia; calida, & ſicca primo ordine.

Sanguis hircinus; calidus & ſiccus ſecundo ordine; præcipue veſicæ calculis, & renum arenulis diſcutiendis, & *expellendis* natura accommodus.

VIPERINÆ carnes; quæ ſi commode præparentur, inter alexipharmaca principatum obtinent.

Hactenus ſimplicia animalium, præcipue Solaria.

SYLVIVS.

Simplicia frigidioris Nonne vero, Theodore, ſimplicia illa frigidiora

gidiora, quæ enumerasti, magis sint Lunaria, quam Solaria?

natura quatenus sint Solaria.

THEODORVS.

Si qualitatem, & frigidiorem temperaturam spectes, Lunaria sane dici queant: Sed tamen *quo ad opobalsamum illud cœleste, viuificum, alexiterium*, pro Solaribus tantummodo haberi possunt.

SYLVIVS.

Quod ista hactenus mihi recēsuisti, Theodore, rem sane fecisti gratissimam. Ex quibus liquido apparet, à Physico requiri, vt qualitates rerum non tantum manifestas & elementarias, quas vocant; sed inprimis etiam illas mysticas, & cœlestes proprietates: & insuper hasce aureas, vere specificas, & viuificas formas attente rimetur, & obseruet.

Simplicium qualitates quomodo consideranda à Physico.

Verum enimuero non modo in præparatione, sed etiam in electione, & vsu, atque applicatione harum materiarum, singularem prudentiam, & dexteritatem adhibendam iudico.

THEODORVS.

Omnino. Nam medicum eruditum, ac peritum, habita cuiusq; morbi, vel à frigida vel à calida causa exsistentis; cuiusq; ægroti, cuiusque temperamēti, & præcipue laborantis partis, ratione, graui iudicio, ex istis maxume accommoda, & sympathetica simplicia, quæ

Simplicium in arte medica vsus.

vo-

vocant,seligere,præparare, & exhibere conuenit. Nec vsus eorum committendus plagiariis,rudibus,& imperitis medicastris.

PALLADIVS.

Absint procul ab intimis hisce medicinæ sacrariis,ac viridariis inclutis,seplasiarii; arceantur erronei & circumforanei.

APOLLONIVS.

Hinc procul ignari medici, procul ite profani:
Abstineant porci;non spirat Amaracus illis.

De artificio demonstrãdi Spiritum Solarem, in rebus nascentibus delitescentem.

Nunc porro artificium illud, quo Spiritum illum sidereum, Solarem, Cardiacum,& quasi viuificum,in singulis metallis, terris,& aquis mineralibus;immo in ipsis etiam vegetalibus,& animalibus delitescentem demonstras, edocebis; & ad aureum illud Solis Solium quadam tenus sistere non grauaberis.

THEODORVS.

Artificium illud non tantum in praxi medica, verum etiam quadam occulta, facili tamen & expedita ratione; ex mirabili ipsius naturæ sympatheia petita; administratur & ob oculos ponitur.

PALLADIVS.

Ne celes Amicum, quæso, quicquid id est mysterii.

THEODORVS.

Nonne tibi sufficit, te huius rei praxin medicam, testem, ac demonstratricem habere?

PAL-

PALLADIVS.

Vt huius arcani mihi copiam facias, Theodore, ego te per Apollinis, Medicinæ parentis Citharam; per virgulam illam diuinam magni Mercurii, qua iuxta Maronis opinionem;

——*Animas ille euocat orco*
Pallenteis: alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Ego te per Æſculapii ſacra; per Socratis Genium, atque per Hippocratis tui oracula omnia; per Homunculum Spagyricum, per Igniuomorum Chemiſtarum numina, Vulcanum, & Plutum; Immo quod ſummum eſt, per arctiſſima neceſſitudinis noſtræ vincula, & iura te obteſtor & adiuro. Quid tu, ad hoſce efficaciſſimos bombos, tanquam obturatis auribus taces?

THEODORVS.

Siquidem iure quodam amicitiæ noſtræ tantopere vrges & inſtas, obſecundandum tibi cenſeo. Sed prius admirandum plane rerum naturalium tibi exhibebo ſpectaculum.

Pulueris huius Solaris, quem vides, vnciæ ſunt binæ. Iſtius quantumlibet, in pyxidem aliquam ligneam (cuius pondus mihi ſit ignotum) immitte, occlude, filo tenui arctiſſime colliga, demum etiam obſigna.

PAL-

PALLADIVS.

Feci, vt iussisti; sed quidnam ista sibi volunt?

THEODORVS.

Nunc paullulum abs te in proximum conclaue secedam: hinc rediens, vel te tacente, quantum pulueris istius Solaris pyxidi inclu- seris, occluseris, & obsignaueris, indicabo.

PALLADIVS.

Interim hic te præstolabor, Theodore. Hui tam cito redis? Iam si potes, verum mihi edissere.

THEODORVS.

Pyxidem tuam vides etiamnum clausam, filum illæsum, sigillum integrum. Pulueris continet Solaris drachmas quinque, cum scriptulis ferme duobus.

PALLADIVS.

Recte diuinasti. Ego vero te absque magicæ artis adminiculo, ista posse efficere, vix puto.

THEODORVS.

Tota erras via: Me nullo alio quam physico medio, ac modo hæc expedire, sancte & religiose tibi confirmo.

PALLADIVS.

Fac igitur sciam hoc artificium: quid occultas? cur sic ludos facis? Cur ita oculis meis tenebras & offucias offundis?

THEO-

THEODORVS.

Absint ludi, & ludibria, absint effuciæ: rem seriam, ac vtilem tracto, & trado.

Sol tibi signa dabit; Solem quis dicere falsum
Audeat? vt Maronis vtar versu.
Adhibe saltem huc aurem, Palladi.

PALLADIVS.

Quamobrem istuc?

THEODORVS.

Ego tibi hoc mysterium naturæ aureum, in aurem: Habesne?

PALLADIVS.

Habeo nebulas, habeo ventos, & fumos in pariete pictos: aut si quid velis maius, rarius, carius, habeo aurum illud Alchymistarum, si Diis placet, plusquamperfectum.

THEODORVS.

Euge mi Palladi, quid habes?

PALLADIVS.

Cornibus auratis ceruos, per inane volantes:
Chemistarum Aquilas, pennis sublime secantes.
Dic igitur apertius, significantius, & explicatius, Theodore.

THEODORVS.

Quia tam crasso, & pingui es cerebro; crassiore & pinguiore Minerua tibi rem declarabo. Admoue iterum aurem, & mentem simul. Intelligis quæ dixi?

PALLADIVS.

Intelligo: O rem mirãdam, ô subtilitatem exi-

eximiam: pro arcano hoc tanto bona fidē mecum communicato, gratiam ago, habeoque maxumam.

THEODORVS.

Verum ego tibi hoc ingenue fateor, ad arcani istius inuestigationem, ac Solaris, Salutaris, & viuifici spiritus demonstrationem perueniri non posse; nisi prius vegetalia, & animalia corpora, in mineralia, id est, in Salia redacta fuerint. Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus; vt cum Marone loquar. Abrumpenda hæc, inque tempus aliud commodius differenda.

PALLADIVS.

De secunda Dialogi parte. De præparatione, & separatione medicamentorum solarium.

Iam tandem de præparatione, seu Balsami Solaris separatione nonnihil agamus. Qua ratione Solarem istam formam seu facultatem, in dictis simplicibus inuestigandam censeas, mihi, quæso, significa.

THEODORVS.

Hoc inprimis notandum; in qualibet *substantiæ* parte, aliquid *formæ* & *Balsami* Solaris hærere, ac delitescere inclusum atque ababditum. Quod conuenienti, tum destillatione, tum extractione separandum est. Non tamen à materia elementaria omnino segregatur; & sola isthæc forma sine subiecto, & materia consistere minime potest.

PALLADIVS.

Ista sic intelligo, Theodore, Solaris istius Spi-

Spiritus, & Balsami in qualibet substantiæ "
parte, arte separata aliquid reperiri: siue ea a- "
quea, & aeria; siue terrena fuerit: aut, (si ma-
gis poetice, & Hermetice, cum filiis Artis pa-
rabolicis, & ænigmaticis philosophari libet)
siue ea Mercurius, & Sulphur; siue Sal, Cinis, "
& calx fuerit. Quidnam igitur de aquis, li- "
quoribus, & oleis vegetalium stillatitiis, siue
partibus substantiæ aqueis, & aeriis; Mercu-
rialibus, & Sulphureis iudicas?

THEODORVS.

De vegetalium destillatis aquis, & oleis.

In illis vegetalium destillatis, aliquid istius Solaris formæ & facultatis inest. Hinc pleraq; in morbis acutis, & febrilibus, Bilis vtriusque æstuantis, ac ferocientis impetum, feruorem, acrimoniam, & malignitatem quodammodo mitigant, corrigunt, & compescunt, putredinemque, ne serpendo gliscat longius, inhibent: Et partim per vrinam, partim per sudorem; fomitem putredinis, ac mineram malignitatis blande subducunt, atque expellunt; ac tandem successu temporis, humores illos concitatos, vt & partium substantiam, ad iustam temperiem reducunt.

Agnoscis igitur nobilissimarum istarum creaturarum Dei dignitatem, ac præstantiam: vt etiam cum habitu, quem caloris impulsu emittunt, particulam Solaris & Salutaris istius opobalsami simul exspirent; Imbremq; vere aureum effundant.

Apollonivs.

O Iouis æther ios imbres! age, perge docendo
Tam sacra Naturæ mysteria: Sparge salubreis
Ambrosiæ succos, & odoriferam Panaceam.

Palladivs.

De succis vegetalium.

Quid de extractis illis Spagyricis? Quid de decoctis, Syrupis, succisque vulgaribus?

Theodorvs.

Nonnihil sane virtutis Solaris obtinet succus ille vegetalium, plerumque felleus, amarulentus, adustus, vi ignis elicitus: sed ipse solus, & immoderate assumtus, nec probe correctus, facilime corrumpitur; in bilem acerrimam conuertitur; *Spiritus humoresque* calidos, biliosos, furentes auget, inceditque; calorem natiuum dissipat; maioremque humorum ebullitionem, ac Symptomata varia excitat. Quapropter in ipsius vsu caute & circumspecte agendum.

Palladivs.

Subiectum balsami Solaris.

Quibus igitur in partibus substantiæ, vis illa Solaris maxime requiescit?

Theodorvs.

Potissima, immo tutissima, & efficacissima opobalsami istius Solaris, ac viuifici portio; quæ non ita facile calorem alienum (à quo existit corruptio) admittat; in iis plerumque simplicium partibus residet; quas pseudochymici, & Pharmacopæi vulgares, tanquam inutiles, solent abiicere.

PALLADIVS.

Næ tu mihi paradoxon hactenus plane incognitum refers. Num mihi pulueres, electaria, & alias confectiones quasdam radicum, herbarumq; vulgares, Pseudochymicorum extractis laboriosis, & sumtuosis præferre videris? THEODORVS.

Maxume: & quidem ratione non obscura, & experientia edoctus manifesta. "
"

PALLADIVS.

Fortasse in Solaribus simplicium Ignis ille Solaris maxime insidet? quæ summis à quibusdam efferuntur laudibus. *De salibus simplicium.*

THEODORVS.

Salibus Chymicis suum quidem locum relinquo; cum etiam ipsis multũ occultæ huius Formæ, Solaris insit. Sed illorum vsus aliquoties iteratus, non est admodum gratus: & ab iis plerumq; abhorret stomachus. En paucis versiculis, Palladi, rem omnem accipe:

Haud vim viuificam rerum in se continet illam *Hort. Med. part. I. ca. 7.*
Sal solum: ast proprio cum Sale Terra suo.
Non satis est medico, Spagyrum exantlasse labores!
Dum tria secernit; Sal graue, Sulphur, aquas.
Fas tentare nouum terrena in mole laborem:
Gaudet & ipsa suis terra relicta bonis.
Vsq; adeo in partes totius corporis alte
Vis soli fusa est, viuificusq; vigor.
Tolle quod aduersum fuerit: tum corpora rerum
Solue: vt per corpus distribuisse queas.

Sic iucunda ſatis præbes feliciter ægris:
Sic præbes ægris pharmaca tuta ſatis,

PALLADIVS.

Palladius ego ſum, non Oedipus. Quiſnam hæc, Sphingis ænigmate, ac Sybillæ foliis obſcuriora, abſque interprete, adſequi queat? Cur iſta, Theodore, verbis tam obſcuris?

APOLLONIVS.

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo erue lucem:
Hoc decet ingenuos: ſummus hic artis honos.

THEODORVS.

Obſeruationes, & Theoremata, de præparatione medicamentorum Solarium.

Vt dicta rectius intelligas, Palladi; aliquot tibi de præparatione, & ſeparatione medicamentorum Solarium obſeruationes, & theoremata proponam.

I.

Aliæ ſubſtantiæ medicæ, natura ſua ſunt partium tenuiũ; aliæ craſſiorum ſunt partiũ.

II.

In iis, quæ tenuium ſunt partium: Materiæ inſuper habent parum, Formæ autem plurimum: quæque totius ſubſtantiæ proprietate, Forma ſpecifica, & ſympathetica certis membris ſubueniunt: facilis fuerit ſolutio, & ferme vulgaris: illa vero attenuatio Spagyrorum
" rum ſubtiliſſima plane ſuperuacua, imo ſæpe
" nociua eſt.

III.

Ex craſſioribus pleriſque ſubſtantiis, quæ ſunt amarulentæ, & acres, calorificæ vibrantiſque

tiſque naturæ; duplex extrahendus eſt ſuccus: Alius eſt *plane* elementarius, & alimentarius, felleus, terreus, Nitroſulphureus, aduſtus, amarulentus; morbis calidis, & biliosis minime accommodus: de quo paullo antea: Huius tamen aliquis in clyſteribus abluentibus, & abſtergentibus; inque fomentis externis vſus eſt. Alius eſt temperatiſſimus, & tutiſſimus, ſaporis longe gratioris & iucundioris; Solem & Salem illum plane viuificum, penetrabilem in ſe continens: qui Balſamum & Saccharum vere aureolum, Solare, Salutare, ſiderium, & cardiacum, Alexiterium, & theriacale commode appellari poteſt.

De hac medicamentorum edulcatione, (vt ſic loquar) veterum quorundam exſtat regula.

Grande magiſterium eſt, quando edulcabis amarū.

IV.

Alio modo conficienda ſunt ea; quibus attenuandum, diſcutiendum, & diſſoluendum eſt: *Illa* enim quo penetrabiliora, eo meliora fuerint.

Alio modo conficienda ſunt ea medicamenta; quibus denſandum, adſtringendum, corroborandum: Hæc dum in pulueres rediguntur tenuiſſimos; ita ſane diſſoluuntur, vt ſumta, per corporis partes facilime diſtribui poſſint. Toto itaque cœlo, quod dicitur, errant illi ſeſquiphyſici Vulcanici, carbonibus,

furnis, & follibus tantummodo philoſophantes; qui ventriculi humani, aliorumque membrorum corporis Coctionem, Alterationem, aliaſque facultates, vires, & actiones mirandas, Digeſtorii, & Separatorii ſui Volcanici regulis ſtulte metiuntur.

APOLLONIVS.

Hort. Med. part. 1. c. 7.

Diſcite vos Spagyri; quanto diſcrimine diſtent
Vis ſtomachi humani; machina veſtra vitri:
Carbonis, Cordisq; calor; Vulcanius ardor;
Membrorum ætherius, viuificusq; vigor.
Hæc vbi proſtrata eſt penitus miranda facultas:
Nil agit excellens omne Magiſterium.
Nil proſunt homini cœlum, & Secreta Sophorum:
Nil rerum infœlix vis ea quinta poteſt.
Haſce facultates membrorum ars nulla ſtupendas,
Nulla æquare valent organa ſtructa vitri.
In multis, ſtudio veſter deſudat inani,
Vanus, & inſanus, ridiculusque labor.

V. THEODORVS.

Reprehendendi & corrigendi ſunt cum ſuis artificiis pſeudochymici; qui abſq; vera & naturali ratione: ignis violentia, ſublimationibus variis, ac ardentibus, & erodentibus liquoribus ceu vehiculis: rerum naturas quodammodo immutant, & deſtruunt, peruertuntque: non ex illis extrahunt veras, vt nugantur, eſſentias: multo minus Solare, & Salutare illud rerum ſeparant balſamum.

VI. Magna circũſpectione opus eſt in adhibi-

hibendis Chymicorum Volcaniorum extractis, cum vini Spiritu, vel ad illam vsq; quintam (si Diis placet) essentiam perducto, paratis. Quam facile enim in bilem acerrimam conuertantur; Spiritus humoresq; biliosos; ferocientesque exasperent; calorem natiuum dissipent; maioremque humorum ebullitionem, ac symptomata varia in morbis calidis excitent; praxis medica quotidie satis superq; testatum facit.

VII.

Regulæ & obseruationes istæ de Alterantium medicamentorũ præparationibus præcipue intelligendę sunt: Nam in purgantium extractionibus plerumque diuersa est ratio.

Verum in proximo congressu nostro, tibi clarius hæc, explanabo & ob oculos ponam. Nam manu potius, quàm literis commonstranda sunt. Et licet nunc apertissimis tibi verbis rem tradidero; attamen nisi oculis ipse videris, fidei parum dictis adhibueris.

PALLADIVS.

Sed tamen modum separationis, & præparationis huius facilem esse reor, & expeditũ.

THEODORVS.

Immo facilimus: Qui à vulgari non longe quidem distat, si speciem externam medicamentorum spectes: sed tamen quiddam arcani in recessu habet, & rationibus naturalibus cum primis nititur. Summum autem

huius opus est: vt destillationem, extractionemque præcedat commoda materiarum solutio: Deinde firma cum vehiculis coniunctio & vnio: Tum demum subsequatur conueniens nobilissimarum partium separatio: nulla naturalis proprietatis aut qualitatis facta mutatione, & corruptione.

Avrelivs.

Næ, tu de carbonariorum Spagyricorum quintis illis parum honorifice sentis essentiis.

Theodorvs.

Pseudochymistarum purgatoria.

Nihil mihi cum istis essentiis, & essentiatiis pseudochymicis. *Experientia enim ipsa* loquitur, quam sæpe *illi stibiatis* ficubus, ac rotulis, & aliis Mercurialibus, violentissimisque pharmacis (iusto Dei iudicio) expurgẽt, aut exturbent potius è corporibus mortalium animas simul vna cum malis humoribus. Demiror tamen complures medicos, qui veris ac sinceris medicinæ fundamentis nituntur; nonnullis saltem destillatis, & extractis Chymicis interdum in praxi vtuntur; licet vera illius Hermeticæ Medicinæ principia & fundamenta ignorent: attamen Dogmaticos alto supercilio fastidire, conuitiis, sputisque contaminare; & Chymiatrorum inani nomine tantopere capi, rapi, fricari, & stulte superbire; vt saltem vulgo scioli, ac mirifici, & quasi diuini videantur homunculi.

AVRELIVS.

Pretiosa tamen verorum Chymicorum medicamenta, in pretio habes, Theodore?

THEODORVS.

Destillata, & extracta Chymicorum preciosa, & sumtuosa non plane reiicio; sed nonnulla ex iis magnifacio, si in loco adhibeantur. Hoc tamen, (quod præstantissimorum virorum pace dictum volo) ingenue affirmare ausim; pleraque sua virtute & efficacia tantorum impensis operum, laborum, & sumtuum minime respondere: & præparationibus quibusdam vulgaribus, haud iniucundis, sæpissime plus tribuendum censeo: Cuius rei quotidianam experientiam satis locupletem testem habeo; quibus te assentiri minime dubito.

De pretiosis verorum Chymicorum medicamentis.

PALLADIVS.

Quid tu, Apolloni, de illis subtilissimis Chemiatrorum Volcaniorum essentiis, Magisteriis, & toto illo Cœlo Spagyrico pseudohermetico, & poetico iudicas?

APOLLONIVS.

Si cœlum Chymicum, si Quinta essentia rerum,
Corporea hac mundi trans elementa volant:
Si quis Mercurius, Sulphur, Sal deniq; SIMPLEX:
Quintum vbi, Sal, Sulphur, Mercuriusque latent?
Num sine subiectis poterunt subsistere? nonne
Sedem Elementarem Forma profunda tenet?

An non subiectum materiale tenent?

SYLVIVS.

Longe melius, modestius, significantius & explicatius de Chymicæ artis vero vsu, magnus ille scribit Fernelius:

Fern. lib. 2. de abdit. rer. caussis cap. 28.

Missa vehementi illa de pecunia opinione: satis nobis sit; è rebus singulis sincerum quidpiam putissimumq; elicere: in quo vis illa occultarum proprietatum summa (licet non omnis) insideat.

PALLADIVS.

Longe felicior, facilior & expeditior, longe vtilior & præstabilior Hermeticorum Naturæ consultorũ est industria: qui instructi Aceto & Azotho ipsius Naturæ vnico, vniuersali, Aqua Regia permanente, siue perenni, Mari sicco, & Igne non conflagrante; omnia & singula Sublunaria corpora, facili negotio vere soluunt, in principia sua redigunt, separant, præparant, perfecteq; decoquunt.

APOLLONIVS.

O præstans, mirus, felix, & viuidus Ignis!
Naturæ occultus, sacer, indelebilis Ignis!

AVRELIVS.

Hermeticus iste Ignis cum Viuifico illo corporis nostri Calore quadamtenus comparari potest: Nam sicuti ille corporis alimenta soluit, alterat, attrahit, digerit & egerit, concoquit, & à fecibus expurgat, corrigit deniq; & ad alendum & sustentandum corpus apta & accommoda efficit: Ita hic Naturę ipsius perfectissimus Ignis corporis humani me-

medicamenta,& alia, vere in principia sua resoluit, heterogenia, & superuacua ab iisdem secernit, cruda & corrupta concoquit, & corrigit: Imo corpora ipsa medicamentorum, quasi demortua resuscitat, atque viuificat.

SYLVIVS.

Huic excellenti & præclaro operi rite competit illud Virgilianum, in Georgicis:

——Hunc omne per Ignem
Excoquitur vicium, atque exsudat inutilis humor:

APOLLONIVS.

Grata sapore modo fuerint mortalibus ægris:
Tu quocunque pares pharmaca grata modo.

PALLADIVS.

Recte dicis, Apolloni; Sed quid de vsu pilularum, seu catapotiorum iudicas? quid denique de potiunculis medicis?

APOLLONIVS.

De pilulis, & liquoribus medicis.

Nos solida ventri globulos immittere forma:
Non raro eximiæ est vtilitatis opus.
Deglutiat, quicunque potest, feliciter illos:
Gratior est ægri potio fluxa gulæ.
O si tam facili in stomachum se potio lapsu,
Nectarei laticis faustus vt haustus agat.
Claude oculos, rictus, & fauces pande: liquoris
Haud ægre ad stomachum portio parua fluit.
Hac hausta subito fontana os elue lympha:
Nec lædet fauces potio sumta tuas.

PAL-

Palladivs.

Præparatio medicamentorum commoda, cur necessaria.

Sed quam ob causam, Theodore, istam medicamentorum præparationem commodam, tam necessariam putas?

Theodorvs.

Ego graui ratione adductus sic statuo: Medicamenta nostra, mitia, benigna, tuta & Solaria, artis adminiculo ita præparanda; vt sine nausea & fastidio, per aliquot dies, ab ægrotis assumi queant. Nam pleraque tuta, & preciosa medicamenta (absque vsu aliquoties iterato) parum aut nihil eorum, quæ pollicentur, præstant. Cum reliqua, quæ cito curant, admodum sint periculosa, & vim naturæ viribus sæpe summam inferant.

Deinde, fomenta, & radices morborum, nisi iterato medicamentorum vsu, exstirpari & aboleri haud possunt:

Non vno, ast crebris deciditur ictibus arbos:

Idem de morborum curationibus esto iudicium.

Apollonivs.

Hort. Med. part. 1. ca. 4.

Plurima tartareas soluunt medicamina faces,
Et vim viuifici plurima Solis habent.
Sed quia felle mouent stomacho fastidia nostro:
Naturam aut lædunt; Vsum iterare nequis.
Nec labis fomes medicando exscinditur imæ:
Hinc Medicus vulgi scommata sæpe tulit.
Ergo quæ morbi radicem euellere poßint;
Quæque iterare queas; pharmaca grata pares.

Pal-

PALLADIVS.

Quandoquidem commoda medicamentorum præparatio adeo sit vtilis, & necessaria; quidnam igitur sentis de Arte Chymica, seu Spagyrica; quæ istam medicamentorum, & præparationem, & separationem tradit?

De arte Chymica seu spagyrica, quæ præparationẽ, & separationem horum medicamentorum tradit.

THEODORVS.

Illam ego Medicinæ Dogmaticæ, Galenicæ, seu Rationali, vtpote Reginæ, tanquam ministram & famulam, semper adiungendam: Sed tamen à Spagyrica quorumdam monstrosa, barbarica, futili, & inutili separandam censeo. Ad hæc quid noster Apollonius?

APOLLONIVS?

Sustinet vt Dominæ Medicina Galenica partes:
Sic Chymica ars ipsi iuncta ministra fuit.
Laude ministra quidẽ digna est: sed temnere tentet
Si Dominam; flagris digna ministra foret.

Medicina dogmatica. Ars Chymica. Hort. Med. part. 1. c. 3.

PALLADIVS.

Verum in tanta Philosophantium, Medicantium, imo & mendicantium turba, cuinam sectæ physicæ, & medicæ; siue Dogmaticorum, siue Chymiatrorum, siue Hermeticorũ præcipue adhærendũ censes, Apolloni?

APOLLONIVS.

Dogmaticos veneror Medicos, sectorque Chymistas,
Et colo cumprimis Hermetica castra Sophorum,
Admirans dona, Admirans Inuenta medentum:
Haud tamen vllius iuraui in verba Magistri.

Citra

Citra animi adfectum, Verum, Rectumq́; sequaris:
Bilis amaræ expers, quodcumque sit vtile spectes.

PALLADIVS.

De tertia Dialogi parte. Extractorum Solarium vsus, secundum veram & Galenicam Dogmaticorum medendi methodum instituendus.

Differamus in aliud tempus vberiorem de medicamentorum pręparatione tractationē: Ac in primis missa tandem faciamus figmenta, somnia febrilia, & offucias pseudochymicorum Volcaniorum, ac in instituta disputatione nostra pergamus.

Illa, mi Theodore, quæ hactenus de medicamentorum Solarium, in variis ac diuersis morbis, facultatibus, eorumq; vsu, & applicatione dixisti, nonnihil pugnare videntur cum vera, vsitata, & rationali (vt hodie loquimur) medendi methodo.

THEODORVS.

Balsamis Solaribus, in praxi medica, præparantia medicamenta præmittenda. Charticorum benignorum in morborum curatione vsus, & necessitas.

Absit, istud Palladi; in plerisq; enim morbis præmittuntur præparantia medicamenta; Cathartica nimirum mitia, ac blanda: enemata, & similia etiamsi nulla adsit manifesta alui obstipatio. Quorum adminiculo, crassior illuuies non tantum excrementorum, sed etiam humorum peccantium, viscidorum ac tenacium attenuatur, dissoluitur, abstergitur, ac partim per aluum, partim per vrinas subtrahitur: Tum meatus viarum communium, Ventriculi, Mesaraicarum, Intestinorum, hepatis, vesiculæ fellis, lienis, renum, aliarumque obstructarum partium aperiuntur; vt medicamentis reliquis eo facilior at-

que

quæ expeditor ad locum adfectum & morbidum pateat transitus: *Idque quantum fieri queat, absque impetu, & violentia, naturæ contraria; & sine perturbatione, ac debilitatione virium corporis peragitur.*

PALLADIVS.

Cum Balsamis Solaribus in praxi medica purgationes blandæ, ac benignæ plerumque sint præmittendæ; De iisdem leges quasdam mihi haud grauate, mi Apolloni, præscribas, obsecro.

Regula, de euacuatione medica, Solarium medicamẽtorum vsui præmittenda.

APOLLONIVS.

Humanum expurgans corpus, medicamina cautus
Effugias, quæcunque solent prosternere vires:
Naturæ aduorso, violento aut robore, robur
Corporis eneruant, & membris sæpe relinquunt
Pestiferas faces, morbi fomenta futuri,
Ast omnis morbi, nostros qui concutit artus,
Copia, vel labes humorum exsistit origo.
Emendet vitium Concoctrix viuida virtus:
Humores placide nimios molimine tollat
Firmata Expultrix, non debilitata facultas.

De his plura in hort. Med. part. 2. c. 10.

THEODORVS.

Semper enim adnitendum, vt euacuatio fiat citra molestiam, & periculum, vt & antea monui; citra vehementem commotionem, perturbationem, ac debilitationem virium naturalium.

SYLVIVS.

Hac de re non inscite in suis oraculis, noster Hippocrates: *1. Apho. 2.* *Si*

Si talia purgentur; qualia purgari oportet; confert, & facile ferunt: sin minus, citra.

Et 1. Aphoris. 23.

Quæ vacuantur, non sunt æstimanda copia: sed quod talia vacuantur, qualia vacuari oportet; & quod æger facile fert.

APOLLONIVS.

Non quantum; sed quid purges, spectare decebit.

THEODORVS.

Grauiter itaque errant Medici, à quibus sæpenumero ægroti, reiteratis subinde vacue facientibus medicamentis, excernendo, largeq; cacando, tres, quatuorue vrnas, vel vno die complere coguntur: cum *cochlearia* sex aut septem (si quantitatem obstructi, corruptiq; humoris spectes) expurgasse è corpore sufficiat: qua de re plura in hortulo nostro.

PALLADIVS.

Cathartica benigna ac blanda.

Nunc mihi haud grauate recenseas, quæso Cathartica nonnulla benigna, mitia & blanda; quæ potissimum in praxi medica, *Solaribus* medicamentis, & *Balsamis* (*habita cuiuscunq; ægroti, & morbi ratione*) præmittere soleas.

THEODORVS.

Calida primo & sicca secundo ordine.

Recensebo tibi, ac sane more meo, secundum distinctas primarum qualitatum classes. Horum alia sunt calida, alia sunt frigida.

PALLADIVS.

Recita igitur calida primo, & sicca secundo ordine.

THEODORVS.

FVMARIA: ſanguinem etiam venarum, id eſt, omnes humores cõiunctim in venis contentos, à quolibet humore vitioſo, & fœculenta eluuie expurgat. De qua & antea.

FLORES pruni ſylueſtris: vtramq; bilem præcipue educunt, earumq; acredinem cohibẽt.

MECHOACA: Specifica totiuſque ſubſtantiæ proprietate ac ſimilitudine (vt & alia cathartica) vi caloris natiui in corpore incitata, pituitam præcipue; vtpote humorem ſibi inprimis familiarem & affinem, ad excretionem mouet, atque impellit, attrahit, & educit.

PALLADIVS.

Enumera calida, & ſicca ſecundo ordine. *Calida, & ſicca ſecundo ordine.*

THEODORVS.

AGARICVM; à Medicis medicamentum familiæ appellatum; craſſam præcipue, ac lentam pituitam, deinde etiam quadamtenus bilem vtramque expurgat.

ALOE; Cuius quotidianus vſus, ac ſane moderatus, à lethalibus morbis homines tuetur; ſed delicatulis, & nauſeabundis admodum aduerſatur; ſuperuacuos humores ſenſim expurgat; cæteroſque à putredine incorruptos conſeruat. De qua antea.

EBVLI baccæ & radix; Hydropicos purgant.

POLYPODIVM quercinum; vtramq; bilem ſenſim expurgat.

SAMBVCI radix; A qua intercute laborantibus opitulatur.

SENÆ Alexandrinæ folia, & folliculi; Melancholicis præcipue, deinde etiam biliosis, & pituitosis excrementis, ac humoribus adustis, non tantum concitandis, mouendis, & ad excretionem irritandis; sed etiam educendis maxume commoda, immo tutissima. Duplici tamē adminiculo, & quasi stimulo indigent; primum aperiente, ac humores crassos, viscidos, & lentos incidēte; Zingibere nimirum, Aniso, aut Cinnamomo: Deinde etiam lubricante, & meatus humectante; vtpote manna, melle, saccharo, prunis, vuis passis, & similibus. De his Poeta: ——*Animosque serenos*
Atq; hilares reddunt, curasq; in gaudia soluunt;
Tristitiamq; fugant, seniumq; informe retardāt.

TEREBINTHINA vera, siue Veneta; cōueniēter lota, viscerum obstructiones valide tollit. De hac antea in medicamentis Solaribus.

PALLADIVS.

Quænā sunt calida, & sicca tertio ordine?

THEODORVS.

Calida, & sicca tertio ordine.

ARISTOLOCHIÆ longæ radix; pulmoni, & pectori præcipue consecrata. De qua antea.

EPITHYMVM (siue thymi Cretici flores;) Humorem Melancholicum præcipue attenuant, & expurgant.

IRIDIS Illyricæ, & Florentinæ radix; aquam Citrinam, & pituitam ducit,

RHABARBARVM; Bilem flauam præcipue educit; iecur, aliasq; partes pariter emundans, ac roborans. De hac radice in medicamentis Solaribus.

PALLADIVS.

Quænam sunt calida, & humida primo ordine?

Calida, & humida primo ordine.

THEODORVS.

CASSIA fistularis; vtramq; bilem aluo leniter detrahit, earumq; acrimoniam obtundit.

LACTIS Caprini, & bubuli serum; bilis æstum, & acredinem leniens, aluum laxat.

MANNA Calabrina; bilem redundantem, & acrem mitigans, & educens.

MALVA; aluum leniter emolliens.

OLEVM amygdalorum dulcium; humorum acrimoniam lenit, renum, aliarumq; partium obstructiones expedit.

OLEVM dulce oliuarum, ætate medium; aluum, & intestina humectans, & lubricans, humores emolliens, eorumque acrimoniam inhibens.

PALLADIVS.

Quænam sunt calida, & humida secundo ordine?

Calida, & humida secundo ordine.

THEODORVS.

VVÆ passæ: acinis excmtis, medicamentis aliis mixta blande purgant.

Hactenus de catharticis calidioribus: nunc de frigidioribus.

PALLADIVS.

Frigida, & humida secundo ordine.

Quænam sunt frigida, & humida secundo ordine?

THEODORVS.

ATRIPLEX: aluum leniens.

BETA, vtraque; & nigra & candida: nitrosa quadam facultate purgant.

BRASSICA, seu *Crambe*: eadem qua Beta, vi nitrosa pollet.

CERASA dulcia: aluum leniter subducunt.

POMORVM fragrantium succus: alui excrementa leniter subducit.

PRVNA dulcia: aluum molliendo subducunt.

VIOLÆ Martiæ; Bilem vtramque obstructam ad expulsionem mouent & irritant; earumq; feruorem mordacem, malignumque, obtundunt ac hebetant. De his antea. Habes cathartica benigniora, ac tutiora.

PALLADIVS.

Ista te Solaribus medicinis præmittere, maiorem in modum probo.

THEODORVS.

Catharticis præmissis medicamẽta solaria subiungenda, & quænam sit eorũ in morbis profligandis efficacia.

Hisce demum catharticis, exacto Medici iudicio adhibito, subiungendus vsus remediorum Solarium; quibus residui humores, corrupti, adusti, tartarei, putridi, atque maligni; qui in ventriculi tunicis, hepatis cauo, & gibbo, mesenterio, aliisque partibus delitescunt, eisq; altius insederunt; nulla virium iactura; nulla ægrotorum molestia; partim per

vrinam

vrinam blande ſubducuntur; partim placide & paullatim exſiccantur, & quaſi abſorbentur; partim per ſudores diſcutiuntur, atque expelluntur: *Cum alii abſque ſummo periculo, vehementioribus Catharticis educi, & radicitus exſtirpari minime queant*: Et ſic ſaburra, minera, ac fomes omnis putredinis, atque malignitatis ſenſim auerruncatur.

Præterea ipſis omnis Dyſcraſia alteratur, ſeu corrigitur; non tantum manifeſta, & elementalis; ſed etiam illa occulta, venenata, deleteria, ac maligna, naturæ nimirum humanæ toto genere aduerſa, calorem viuificum exſtinguens, & humorem ingenitum abolens; immo etiam illa omnium malignißima, id eſt, peſtifera & contagioſa obtunditur, atque debellatur. Et hoc ſimul modo (primis ſimul ſimplicium qualitatibus probe conſideratis; oppoſitiſque contrariis) temperies & concoctio partium ad æqualitatem naturalem perducitur. Non enim ſolummodo à calore alieno, putredine ac malignitate, ſuccos corrumpente, & diſſociante calorem natiuum, ac ſpiritus diſiiciente, partiumq; robur diſſoluente, corpus liberatur: ſed etiam medicamentorum caliditate temperata, cruditas domatur; eorumq; ſiccitate, ac frigiditate moderata, tum ſucci alterantur, tum ipſa partium ſubſtantia firmatur. Iſtis remediis commoda victus ratio additur. Numquid igitur in iſta *Victus ratio.*

medendi methodo, vtpote rationi maximè consentanea ac longe tutissima, & experientia per annos complures (diuina benignitate felicem successum suppeditante) in praxi confirmata, desiderari posse autumas?

PALLADIVS.

Nihil sane: sed potius tutissimum hunc medicandi modum adprime exosculor & adprobo. Cum præsertim intelligam; quod hisce iucundis, ac tutis, tam laxantibus, & abstergentibus, quam Solaribus illis, & alterantibus medicamẽtis; quæ vel infirmissimis senibus, prægnantibus, atq; infantibus, absque
„ omni periculo & incommodo exhibeantur;
„ omnis corporum obstructio, plethora, caco-
„ chymia, & dyscrasia, tum manifesta, & ele-
„ mentalis, tum occulta, & maligna aboleatur,
„ atq; corrigatur; idq; medicamentis plerum-
„ que simplicibus; quibus secundũ Galeni sen-
„ tentiam, maxume gaudet natura, perficiatur.

APOLLONIVS.

Hanc methodum Ratio docet; Experientia rerum
Certa Magistra probat, fulcit fundamine firmat.

THEODORVS.

Sed tandem receptui canendum est; Deq;
„ his alias fusius; vbi & horum omnium, quæ
„ hactenus dixi praxin, & vsum, vel in singulis
„ morbis, vobis ostendam. Nunc me aliorsum negotia quædam auocant: Vos ista boni consulite; iamq; valete, viri præstantissimi.

Av-

AVRELIVS.

Vale & tu, Theodore: Sed tibi pro opera tam diligenter nauata; quod magnis & arduis hactenus de rebus nos edocueris; gratias ago immortales: Memorem me tibi, ac gratum (si quando dabitur opportunitas) probaturus sum. Nostrarũ autẽ partium esse duco; *Cum thesaurus naturæ sit inexhaustus, quemadmodum hactenus cognoui; vt sedulo in ipsius mysteriis scrutemur; caute periclitemur; Creatorem ex his agnoscamus, eumq́ue sancte colamus ac veneremur.*

PALLADIVS.

Hoc te moneo, mi Theodore, vt in isto semel suscepto studio alacriter pergas: Memor illius Tullianæ sententiæ: *Non modus est vllus inuestigandi veri, nisi inueneris: Et quærendi defatigatio turpis est; cum id quod quæritur sit pulcherrimum.* *Cic. 1. de Fin.*

SYLVIVS.

Idem & ego te moneo, hortor, obsecro, & obtestor.

THEODORVS.

Sed metuenda mihi Rhadamantea, & Manliana Physicorum, seu Physiologorum quorundam iudicia: Nam nonnunquam, vt cum Poeta loquar:

Et Physici nasum Rhinocerotis habent.

APOLLONIVS.

Ne tu Nasutis, sciolisue placere labores:
Sed studium ingenua mente probare bonis.

THE-

Theodorvs.

Scopus & finis huius scripti.

Vnum adhuc, antequam à me discesseritis, addam. Cum totus hic sermo noster ad literatos homines inprimis spectet, quibus, hisce fundamentis nitentibus, fortasse ad altiora, & secretiora, philosophiæ physicæ, ac medicæ adyta, aditum patefacturus est, in vestra hic præsentia eosdem demum, vt confabulationem hanc nostram (si aliquando in lucem prodierit) æquo, benigno, beneuoloque suscipiant animo; &, si quid in illa parum adlubescit, amice corrigant, deque eo me ingenue, ac familiariter admoneant, à caninis vero cauillis abstineant, obnixe rogo, & obsecro. Id enim liberalium literarum, & humanitatis Cultores maxume decet: quorum saluti, & commodis omne meum studium, operam, atque laborem, immo me totum submisse deuoueo, dico, consecro.

Ad lectores huius scripti Authoris peroratio.

Iterum valete, Amici, & fauete.

Soli Iehovæ Gloria.



1

